


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 165, [1] - -

Leibn. Marg. 165

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [2] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [4] - -

EXCERPTA DE LEGATIONIBVS, EX

DEXIPPO ATHENIENSE.
EVNAPIO SARDIANO.
PETRO PATRICIO ET MAGISTRO.
PRISCO SOPHISTA.
MALCHO PHILADELPHENSI.
MENANDRO PROTECTORE.

Hæc CAROLVS CANTOCLARVS in S. Regis Christianissimi Consist. Cons. & libellorum supplicum Magister è Græcis Latina fecit & Notas addidit.

PARISIIS,
Apud PETRVM CHEVALERIVM, in monte Diui Hilarij.

M. DC. IX.
Cum Priuilegio Regis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [5] - -

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [6] - -

CANTOCLARVS PATER
Renato & Petro filiis. S.

FRANCISCVS *Rex qui Gallia Barbariem profligauit, & inde Magni cognomen reportauit, patrem meum, auum vestrum, nihil minus quàm hoc cogitantem, non pretio, non ambitu, ob eximiam, tum probitatem, tum doctrinam, Turonibus iuri dicundo primum præfecit, deinde etiam in Senatum Parisiensem allegit. Henricus secundus Francisci filius, fratrem meum natu maiorem patri Senatoriæ dignitati successorem designauit. Id meritis patris tribuit, neque quicquam pretij, quamuis tempora ferebant, eo nomine numera-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [7] - -

ri voluit. Et illi quidem per quinquaginta annos magiſtratus ſumma cum integritate geſſerunt, ad quos triginta duos addidimus, quibus iam apud Chriſtianiſſimos Reges libellos agimus. Eſt ſanè ea dignitas, Senatoria maior. Sed cuius nos iamdudum ſatias capit, tædet morum, tædet hominum. Iam animus meus

--ſecurus honorum:
Fallacis Regum quos defert aura fauoris
Indignis æquè, ac dignis diſcrimine nullo.

nihil iſtarum rerum curat.

Vanaque propter opes hominum certamina fœlix,
Et quæ mirantur mortalia pectora ridet,
Atque viam ſola virtute affectat Olimpo.

Licet enim meis vos verſibus affari. Itaque ad veteres meos amicos me recipio

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [8] - -

& vobis cursu lampada trado. At
Vos quibus integer æui
Sanguis vnà cum isto ve-
stro fratre, recens adnato, quem ad
vos mitto, & vobis, ô filij dulcissimi, do
dedicoque, nostri nominis memoriam
propagare, & nos aliquando vixisse
neque honorum luce caruisse notum te-
statumque posteris relinquere pergite.
Et valete.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [9] - -

TESTIMONIA VETERVM.

DE DEXIPPO.

LECTI *sunt* DEXIPPI *rerum post Alexandrum gestarum libri quatuor. Lecta & eiusdem altera Epitome historica vsque ad Imperium Claudij Augusti summa rerum capita attingens. Scythica quoque eiusdem legimus, quibus Romanorum & Scytharum inter se prælia, resque memoratu dignas commemorat.*

Oratio eius vt nihil habet redundans, ita pompam quandam ac maiestatem affectat. Vnde quis eum iure dixerit alterum esse, sed cum perspicuitate quadam, Thucydidem; potissimum vero in Scythicis illis historiis. è Photij Bib.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [10] - -

DE EVNAPIO.

LEcti ſunt Eunapij nouæ Chronicorum poſt Dexippum editionis libri quatuordecim: narrationis initium à Claudij Cæſaris Imperio ducit. In quem Dexippi hiſtoria finitur, deſinitque in Honorij & Arcadij liberorum Theodoſij tempora, vt tunc hiſtoriæ ſuæ terminum ponat, quando Arſacius, Ioanne Chryſoſtomo exterminato, ſolium Epiſcopi occupauit, Arcadijque Imperatoris vxor grauida, & mox abortiens, vita deceſſit. Eunapius hic Sardianus genere. (Sardibus enim Lydiæ natus) quod gentium dogmata ſequeretur, non parum impius fuit. Qui ergo pietate ſingulari Imperium ornarunt, eos omnino largiter vellicat, atque traducit, maximeque omnium Conſtantinum Magnum: Impios contra extollit ac præ cæteris Iulianum Apoſtatam, vt fere ad hunc laudandum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [11] - -

historicum hocce opus elaborasse videatur.

Pulchra eius dictio, si quis ista exceperit. Αλεκτρυονῶδες καὶ ἐλαφῶδέστερον καὶ συωδέστερον, καὶ διὰ τοὺς ἱεραξῶδεις, καὶ κορακῶδεις καὶ πιθηκῶδεις καὶ τὸ ποταμῶδες δάκρυον, id est Gallinaceosum, magis ceruinum, magisque suillum, accipitrosi, ceruosi, simiosi & lachryma fluminosa & id genus alia. His enim aliisque vocibus generosum dicendi genus corrumpit atque adulterat. Tropos adhuc præter modum adhibet, quod historiæ lex vetat. Eximit autem molestiam vt plurimum dicendi vis, & vrbanitas. Compositione vero & perspicuitate, ac periodis ad historiam accommodatè ac propriè vtitur, nisi quod interdum iuridicè magis quam historicè implet, texitque orationem. Innouat non pauca in construendo, verum id non ingratè, neque vt periodis reprehendendis ansam præbeat. Duos autem tomos, qui eandem histo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [12] - -

riam complectantur, scripsit. Primum & secundum. Ac priori quidem multis insinceram Christianæ nostræ fidei doctrinam blasphemiis coniectis, gentium contra detestandum errorem magnificè commendat, multa quoque priorum Imperatorum facta mordens. Altero vero tomo, quem & nouam editionem vocat, ingentem illam conuitiorum turbam, quam in Christianam pietatem peculantius antea sparserat, nonnihil contrahit, ac reliquum deinde historiæ corpus vt cumque connectens. Nouam (vt dixi) editionem inscribit: quæ nihilominus furoris illius & rabiei, qua primum tomum compleuerat, non exiguam etiamnum partem repræsentat. Equidem incidimus in antiquos vtriusque editionis libros, seorsim ab inuicem diuisos & compactos, quibus lectis, vtriusque discrimen deprehendimus. Accidit autem in Noua editione, locos plurimos ob dictorum facta compendia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [13] - -

obſcurè truncatos eſſe, tametſi perſpicuitatis rationem auctor magnam habuerit, nihilo tamen minus (quo id factum ſit modo, neſcio) non rectè, quà compendia occurrunt, connexuit orationem in noua editione. Senſum enim corrumpit eorum quæ ibi leguntur. Atque hic finis eſto. Photius.

DE PETRO.

PEtrus orator & magiſter, & hiſtoricus, legatus ad Choſroem miſſus, valde conſtans & inuictus in arte dicendi fuit, demulcendo barbarica ingenia, dura & ſuperba. Scripſit hiſtorias, & de ſtatu Reipublicæ. Suidas.

DE PRISCO.

PRiſcus Panites, Sophiſta temporibus Theodoſij iunioris: ſcripſit hiſtoriam Byzanticam & Attalicam li-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [14] - -

bris 8. Declamationes rhetoricas & Epiſtolas. Suidas.

DE MALCHO.

LEcti ſunt Malchi Sophiſtæ hiſtoriæ Byzantinæ Libri ſeptem. Auſpicatur ab eo tempore quo morbus Leonem Imp. ſeptimo decimo imperij anno extinxit. Narrat igitur Zenonis inaugurationem, atque vt idem extorris Imperio atque priuatus vixerit. Vt item Baſiliſcus, illi ſuffectus, purpuram deinde poſuerit. Mox Zenonis ad Imperium reditum, cædemque eius quem dixi Baſiliſci, vxore etiam ac liberis, iniqua lege, vna trucidatis. Armatum quoque, qui Zenonem reduxerat, ſimilem accepiſſe mercedem, cum is ab Onulpho, neci datus eſt. Refert item Theuderichj Triarij F. ſeditionem: Et Theuderichj Balamerj F. amicitiam, & cum illo altero Theudericho bellum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [15] - -

certamen etiam aduersus Zenonem, & Marcianj rebellionem, & ante hanc Berinæ socrus (in Zenonem) insidias, Marcianique perpetuum exilium. Rursum Berinæ priores Hillo paratas insidias, vtque Epidamnum Theuderichus Balamerj F. fraude occuparit. Hæc vbi retulit, res quoque Romanorum attingit: finisque septimi libri mors est Nepotis, qui Glycorium Cæsarea potestate exuit, Romanorumque inuasit imperium, & clericorum ritu illum, attonsum, pro Imperatore Episcopum constituit, à quo demum insidiis petitus, periit. Hi septem historiarum libri, etiam præcedentes plures ab eo libros fuisse conscriptos, indicant & initium libri primi de septem idem ostendit. Quin & deinceps historiam persecuturum fuisse, si longior vitæ vsura contigisset, extremo libro septimo significat.

Philadelphensis est hic scriptor, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [16] - -

si quis alius in historia scribenda præstantissimus, vt pote purus, minime redundans, non confusus verbis maxime floridis, ac significantibus vsus, quæ ad magnitudinem ac pompam aliquam tendant, ne nouatis quidem vocibus, quando illæ vehemens quid & sonorum, aut granditatem aliquam habent, prætermissis. Itaque quantus-quantus est, norma historicj sermonis est. Sophistam vero agens, ad Rhetoricæ summum apicem peruenit, inter Christianos religionis cultu recensendus.

DE MENANDRO.

MEnander protector historicus, sic de sese scribit: Mihi pater est Euphrates Byzantinus, minimè ille quidem eruditus. Herodotus mihi frater est, qui legum doctrina degustata, ab eo studio recessit. Ego verò & leges non negligendas esse, & ad finem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [17] - -

laborum perueniendum existimaui: idque feci vt licuit, minimè tamen eius studij professione sum vsus. Neque enim cordi mihi erat causas agere, aut regiam porticum frequentare, & eloquentiæ facultate curas aliorum in me transferre. Itaque rebus seriis neglectis, amplexus pessima hianti ore circuiui. Ac placuêre mihi strepitus (χρωμάτων, colorum, f. ἁμάξων) curruum, & equorum decursiones atque etiam pantomimorum saltatio. Ad hæc, & palæstras sum ingressus: eóque dementiæ veni, vt & penulam exuerem, & vestem illi proximam, & quicquid ad vitæ ornatum facit. Posteaquam verò Mauricius imperatoriam potestatem susceperat, cùm solicitus maximè de populo, tum Musarum amator, & poematum atque historiarum auidus auditor, vt qui & magnam partem noctis in iis studiis consumeret, & pecuniis vberiora ingenia acueret & excitaret:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [18] - -

perlibenter ego tum oberrans, & æger animo, quod non ea quibus esset opus haberem: reputabam, non decere me frustrà oberrare. Itaque ne prorsus nihil agerem, hanc historiam scribendam suscepi, ab obitu Agathiæ auspicatus. Suidas.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [19] - -



EX CODICE MANV *ſcripto Auguſtano.*

QVOMODO OPORTET legatos admittere aut legatos mittere.

Cantoclaro interprete.

LEGATI autà nobis, aut ad nos mittuntur. Quando igitur ad nos mittuntur oportet eos humaniter & liberaliter excipere. Omnes enim ipſos honorant. Cum eorum miniſtris tutè cautèque agere, ne quid ab vllo interrogantes diſcant, & ſi gentium longo à nobis interuallo diſtantium legati ſint, ne forte inter nos & ipſos ſint aliquæ gentes, quibus quæ & qualia nobis ſint conſilia indicent. Idem quoque de his qui nobis vicini ſunt, licet viribus & potentia ſint inferiores. Qui, etiam ſi nobis concedant, ſiue multitudine hominum, ſiue virtute, non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [20] - -

non oportet illis ostentare, neque opes, neque nostrarum mulierum pulchritudinem, sed hominum abundantiam, & armorum pulchrè constitutum apparatum, & murorum propugnacula. Si à nobis legati mittuntur oportet viros esse probos, pietate insignes, neque publicorum iudiciorum crimine damnatos, qui charam remp. habeant, vt pro ea capitis fortunarumque suarum periculum adire non recusent, sicut Regulus, qui prompto animo legationem obeant, non inuiti, sicut Ægyptius medicus. Horum primus apud Carthaginienses captiuus, & ad Romanos legatus pro pace missus, iurauit se reuersurum, si Romani, pacem nollent. Vbi ad Romanos venit pacem dehortatur tanquam eorum rebus infructuosam & minimè id quod iuramento promiserat omnino exequens suadet, vt se ad Chartaginienses remittant. Alter vero cum Persarum Regem in Ægypti Regem concitaret res Ægyptiorum pessum dedit. Oportet autem legatos, vbi ad eos ad quos mittuntur, venerint, sese humanos & benignos exhibere, magnanimos, liberales quan-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [21] - -

tum eorum facultates ferre possunt, æquè sua & hostium laudare, neque eorum apud quos legati sunt, res parui pendere. Oportet etiam legatos res cum summa moderatione administrare & temporibus seruire. Nec enim illis necessitas incumbit quibusuis modis sibi imperata facere. Vt videlicet, est aliquis missus ad dona ferenda vicinis, tãquam amicis, & eos deprehendit hostilia facientes: munera cum litteris retinuit, sermones beneuolos pro donis protulit. Dicet aliquis, neque id immerito, oportuisse legatũ magis dona tradere, quibus inimicorum hostilem animum placaret & leniret, vel pretiosiora quidem retinere, alia vero dare, sed non omnia in sua potestate penes se retinere debuisse, cum hoc temperamento vt velit quidem hostium maleuolentiam compescere & resecare, sed non eos auctiores & validiores opibus reddere. Probatur verò legatus antequam mittatur, si illi proponantur capita legationis & interrogetur quomodo singula est gesturus; an ita, an aliter pro vt res illi acciderint.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [22] - -

ARGVMENTVM Collectionis de Romanorum Legationibus ad Ethnicos.

Proœmium.

Cantoclaro interprete.

QVicunque olim Reges aut priuati mentem minime voluptatibus deprauarũt, aut emolliuerunt, ſed innatam ingenij vim, nulla labe aſperſam, integram virtuti reſeruarunt, illi, illi inquam, labores pertulerunt & aut arti dicendi, aut alius aliæ rei ſtudium & operam nauauit. Horum qui celebriores poſt mortem vitam produxerunt, cum doctrinæ cupidi & amantes extitiſſent, accuratius quædam conſcripſe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [23] - -

runt, partim ſuæ variæ & multiplicis eruditionis illuſtre monumentum poſteris relinquere cupientes, partim vt inter ſuos æquales nominis celebritatem adepti, immortali gloria fruerentur. Poſtquam verò in tàm longo annorum decurſu infinitæ res & euenerunt & litteris ſunt comprehenſæ, in immenſum quoque hiſtoriæ textura, vt minime comprehendi poſſet, eſt extenſa & dilatata. Sed poſterioribus ſeculis omnia in peius propenderunt & hominum mutata ratio eſt. Itaque cum honeſtum nihili ducerent, poſtpoſita veritatis commentatione, negligentiores fuiſſe oportuit, quàm vt res præclarè geſtas ſcriptis comprehenderent. Vnde factum eſt modò librorum vtilium penuria, modo propterea quod prolixam & ingentem ſcriptorum molem, homines horrerent & auerſarentur, vt hiſtoriæ inueſtigatio, quoniam vaga & incerta erat, in tenebris iaceret. Quamobrem Con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [24] - -

ſtantinus Porphyrogeneta Princeps omnium, qui ante ſe imperium tenuerunt Chriſtianiſſimus & valdè orthodoxus, cùm acuratius in rerum honeſtarum cognitionem incumberet, vir prompto & acri ingenio, optimum eſſe iudicauit & ex vtilitate publica, vitæ etiam humanæ fructuoſum & commodum primum quidem diligenti perquiſitione, alios aliunde libros omnis generis ſcientia refertos, per vniuerſum terrarum orbem colligere. Deinde cùm immenſa & confuſa verborum congeries multis grauis & moleſta videretur, & ideo ab auditu deterrerentur, exiſtimauit oportere hiſtoriæ commentarios in breuiores partes contrahere, & ſine vlla inuidia, in commune percipiendam, eam quæ ex his libris oritur, vtilitatem proponere. Ad hæc, vt ex hac collectione, litterarum alumni, attentius & perfectius aſſequerentur, res cognitione dignas, & firmius mentibus ſuis eas in-

ſculperent, & maiori cum animi alacritate & facilitate ediſcerent, quinquaginta libros (totidem enim ſunt libri in quibus, & ſub quibus, totum hiſtoriæ opus, quantumuis longum cõtinetur & cõcluditur) per claſſes & hypotheſes diſtinctas & differentes diuidendos cenſuit. Neque vlla materia eſt quæ effugiat harum claſſium, & hypotheſeon diſpoſitionem. Neque omnino iſta per cõmunes notiones & locos facta diſtinctio, quicquam de perpetuo operis tenore & cõtinuatione detrahit. Sed in vnum corpus redactum, conſeruat, vnicuique ſubiectæ materiæ & hypotheſi adaptata huiuſmodi dilucidi compendij, vel vt verius dicã, ſitus & collocationis ratio. Inter iſtorum locorum communium & hypotheſeon capitula, caput inſcriptum delegatis Romanorum ad Ethnicos, erat ordine viceſimum ſeptimum. Primum vero de Imperatorum proclamatione. Declarat autem hoc proœmium, quos

patres & authores hi ſermones habeant & laudent, & vnde iſti partus editi in lucem prodierunt, ne ſint vlla capita iſtarum hypotheſeum, nullo citato authore, non genuina, ſed fictitia & ſuppoſititia. Sunt verò deſumpta ex his chronicis quæ ſubijciuntur. Primo ex Petro Patricio & Magiſtro: Secundo ex chronico Georgij monachi, tertiò ex Ioanne Antiocheno, quarto ex Dionyſij Halicarnaſſej de Antiquitate Romana, quinto & ſexto ex Polybio Megalopolitano, & Appiano, ſeptimo ex Zozimo Aſcalonita, octauo ex Ioſepho de Antiquitate Iudaica, nono ex Diodoro Siculo, decimo ex Dione Coccciano, vndecimo ex Procopio Cæſarienſi, duodecimo ex Priſco Rhetore, tertio decimo ex Malcho Sophiſta, quarto decimo ex Menandro Protectore, decimo quinto ex Theophylacto Exconſule & Contraſcriba Simocatto.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [27] - -

Extraict du Priuilege.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à Abraham Saugrain, & Pierre Cheualier, Libraires iurez à Paris, d'imprimer ou faire imprimer tant de fois que bon leur ſemblera, en telle marge & caractere qu'ils aduiſeront bon eſtre, vn liure intitulé *Excerpta de Legationibus*, tant Latin, Grec Latin, que François. Et defences ſont faictes à tous autres de l'imprimer ou faire imprimer, vendre & diſtribuer d'autres impreſſions que deſdicts Cheualier & Saugrain durant le temps & eſpace de dix ans, à peine de confiſcation, d'amende arbitraire, & autres peines portees par leſdites lettres de priuilege dõnées à Paris le deuxieſme iour d'Aouſt, mil ſix cents neuf. Et de noſtre regne le vingt-vnieſme. Par le Roy à la Relation du Conſeil.

Et ſeellé du grand ſeel de cire jaune.

Signé DESPORTES.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [28] - -

DE LEGATIS GENTIVM AD ROMANOS.

Quos legatos Imperatorum Romanorum Ethnici admiserunt, qua forma eos exceperunt, & quæ in illis admittendis, obseruarunt.

EX HISTORIA DEXIPPI Athenienſis.

C. Cantoclaro Interprete.

IMPERATOR Aurelianus, omnibus, viribus Iuthungos Scythas deuicit, & in vlteriorem Istri ripam transgressus, cum multos in fuga interemisset, reliqui bellum fœdere finire voluerunt, & legatos miserunt. Neque vero visum est de pace cum eis disceptationẽ instituí oportere. Pauci enim admodum restabant, & à recenti victoria valdè perculsi & prostrati

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [29] - 1

neque dum, quia hoſtes ex omni parte eos circumſtabant, à metu liberi. Maximè, vt pecunias à Romanis acciperent, quæ ſuperioribus annis, illis pendi ſolebant. Sed Romanorum Imperator Aurelianus, vt Iuthungorum legatos aduenisse intellexit, cum dixisset ſe cũ his poſtridiè acturum de his, quorum cauſa legati venerãt, huiuſmodi hoſtibus terroris iniiciendi gratia, militum aciem, condicta die, tanquam ad pugnam inſtruxit. Vt illi recte ſe habere viſa eſt exercitus diſpoſitio, altũ ſuggeſtum ſublimis, purpura indutus, aſcendit, & omnem exercitum qui ipſum circũſtabat in formam lunæ diſpoſuit. Aderãt & ex his qui in exercitu imperia habuerãt omnes abequis. In cõſpectu Imperatoris, erãt Signa coadunati exercitus. Hæc verò erant, Aquilæ aureæ, & imagines Imperatorũ, & eorum qui militiæ nomina dederant, catalogi & enumerationes, aureis litteris perſcriptæ. Quæ omnia ordine collocata, & illuſtri loco poſita, inter haſtas argẽteas, conſpicua erant. His ita præparatis Iuthungos iuſſit adeſſe. Vt hæc viderunt, accidit, eos perterrefieri, & longo tempore ſilentium tenuerunt. Poſtquam ab Imperatore illis dicẽdi facultas data eſt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [30] - 2

ita per interpretem locuti sunt. NEQVE quia aduersa fortuna, quæ nobis hoc tẽpore contigit, vltrà modum animos nostros abiecit & perculit, aut quia destituti copijs & viribus sumus, aut rei militaris imperiti, quæ res imbecillitati & perditis rebus conueniunt, neque quia solis nobis ea res sit vtilitati, & fructui futura, ad pacem festinamus. Etenim multæ nobis adhuc suppetunt ad bellum gerendum facultates, siue multitudine militum, siue viribus opus est. Nam & minima nostri parte, vrbes ad Istrum sitas inuadentes, parum abfuit, quin omnem Italiam ceperimus. Trecenta equitum millia in pugnam educimus, quæ non ex cõuenis aut imbecillibus, sed ex Iuthungis purè cõstãt quos equestri prœlio præstare frequens fama est. Neque aliorum inter hos cõmixtionibus, sed scuto duplo maiore cæteris equestrib. copiis, aduersum quicquid est in vestro exercitu roboris, quod nobiscũ decertat, nos tuemur & tegim⁹. Itaque huiusmodi apparatu ad dimicãdũ instructi, minime, si manus sunt cõserendæ, detrectare aut cõtradicere, statuim⁹. Neque etiã quia victi sumus, sed propter euentuum incertitudinem, pacem bello præponimus. Coniecturã quoque duci-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [31] - 3

mus, ex eo quod, cum vobis rei ex ſententia cõtra nos gerendæ, ſeſe occaſio obtuliſſet, nihilominus de pace conueniſtis, quaſi extet aliqua, inter vtramque gentẽ, antiqua & inueterata ad quietem mutuo colendam fides. Quamobrem oportet inconſideratè ſuſceptũ hoc tempore diſſidium deponere, & ad antiquã concordiã quæ eſt vtriſque vtilior, redire. Equidem antè bellum exortũ, non admodũ crebras incurſiones faciẽtes, prædas egimus, neceſſarias res comparare, quà occaſio tulit ſtudẽtes, cæteroqui ad pugnã initam vſque, in ocio & quiete tẽpus contriuimus: Niſi quãdo hoſtes veſtri in vos irruerunt, contra ipſos, vnà cum veſtro exercitu in acie ſtetimus. Quod & adhuc nunc facere parati ſumus, vt veſtrum periculũ leuemus noſtro, & tutius vobis ſit, etiamſi maximæ copiæ contra vos cõuenerint. Nulla etenim alia manus par nobis, in cõſerenda pugna cẽſebitur. Quod ſi quis proſpero rerũ in bello ſucceſſu elatus, cõtemnit & alienus eſt à pace: ſciat ſe haud ſatis firmæ & ſtabili rei niti, & fidere. Ea præcipites fert in omnes partes eos qui a rebus quæ ſecũdę apparent, vincũtur. Hi quo tẽpore illis fortuna adeſt, in florentes ſuas res toti incũbunt, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [32] - 4

ſolæ ſpes meliorum ſucceſſuum ſuſpẽſos eorum animos tenẽt. In ea animi immoderata elatione ad mutationem rerũ nõ aduertunt & ſuppetias opportunè ſibi oblatas reſpuũt. Ex quo ferè ita comparatum eſt vt propriarũ virium fiducia, præcipuè maiores copiæ fretæ, minima prouidentia in rebus ſuis vtentes, ad pugnãdum accedant & hoſtes contemptui habeant, à quibus minimè ſibi cauentes ſuperantur. Quæ verò conſilio tuto, & viriũ præſtantia cum firmitudine, vtuntur, niſi quid prẽter ſpem & inopinũ accidat, magna cũ difficultate ab hoſtibus expugnari poſſunt. Huius rei fiducia, quãuis acie bipartita ad fluuiũ, fortuna, potius quàm veſtra virtute, nobis cladem intuleritis, haud ſpe deſtituti ſumus, diligẽtioripoſthac noſtris rebus cautione adhibita, fore, vt nos ſuſtinere minimè valeatis. Itaque potius eſt, vt vos cõmoda quæ ex pace proueniunt percipiatis, & belli quod vobis nobiſcum eſt, ærũnas & moleſtias deponatis, quò noſtris auxilijs cõfirmati, ſuperiores veſtris hoſtibus, ſi qui vos adoriãtur, euadatis. Quod ſi ita fieri debere iudicaueritis, quod auri facti, vel infecti, vel etiã argenti, à vobis antea nobis redibat, ad amicitiæ confirmationẽ prę-

ſtare æquum eſt. Si id denegaueritis vos, qua hoſtes vlciſcemur, & quãtũ in nobis erit, bello perſequemur. Ad hæc Romanorũ Imperator hęc dixit Siquidẽ apertè & dilucidè, veſtrã ſentẽtiã exponẽtes, ea de quibus legati eſtis, nos docuiſſetis, nobis qui veſtrum ſermonẽ excepimus, ad eũ minimè dubia aut difficilis præbita eſſet reſpõſio: ſed quoniam ea quę dicta ſunt, decorũ quid, & honeſtum cõtinent, & præſeferunt, re ipſa verò ſecus ſe habent, quorſum pacis mentionẽ faciẽtes, rurſus adhuc bellum minamini & intenditis? quorum vtrumque in vtroque confundere & inuoluere, videmini. Ex quo fit, vt dubitationẽ nobis attuleritis, cui primũ debeamus reſpõdere, ne in aliquo offendamus. Neque etiã ex preſenti rerum ſtatu conſilium capere poſſumus. Oportet enim oratione ambigua & duplici ſenſu circũuentos, in vtrãque partẽ occurrere. Si enim purè & ſincerè pacem denuntiaretis, quid attinuit pecuniarum exactionis meminiſſe? etiamſi victoribus non ſatis conſtaret an denegarẽt aut cõcederent quod ab illis petitur. Quod ſi ſolius vtilitatis rationem ducitis, nullumque aliud ex bello vberius lucrum, quàm pacificationem cenſetis, & victi

tanquam tributa à nobis petitum venitis, nihil magis nos amplecti & persequi, quàm voluptatem ex otio, quod pax tribuit, existimãtes, vos eadem & similis inuasionis fortuna quæ anteà manet. Ne quidem vllum gratiarũ actionis sermonem in medium proferentes mercedem veniæ, à bello cessationem postulatis, & venalẽ, non spontaneam adhortationem ad amicitiã quam nunc proponitis, efficitis. Non enim nos tanquam bellorum rudes & imperitos magnitudine tãtarũ, quas vos iactatis, virium perterrefacietis. Neque verò spoliis Italicarum opum onusti, impunè domũ reuertetis: vestræ pedestres copiæ nobis sunt notæ, ne quidem & equestres ignotę, quibus quantũ in nobis erit, quacumque via aduersabimur & resistemus. Audemus cũ securitate, recedimus cũ prouidẽtia, & in omnibus rebus prudentia ducevtentes, vt sint aliqui potentiores viribus quàm nos, vsu tamen & rei militaris peritia præstamus. Vos cum ardore & prõptitudine audetis, deinde rerum adeptione frustrati: quia quà progredi oportebat, nõ antè prouidistis, damnum experiẽtia ipsa, ex vestra temeritate reportãtes, pœnitentia ducimini. Qui enim haud cũ feruore, ad res

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [35] - 7

gerendas ferũtur, hos in optima quaque re vires minimè deficere neceſſe eſt. Conatus & aggreſſiones veſtræ ſunt ſubitæ, & repentinæ, & breui poſt pœnitentia. In vniuerſum, nihil eſt in veſtris rebus quod ſit admiratione dignũ, à qua sũt omnino remotæ. Quoniam autẽ vos aduerſarios nacti ſumus, cum ſitis longè diſſimilibus moribus, fieri aliter non poteſt quin noſtra rerum gerẽdarum ratio, à veſtra valdè differat & abhorreat. Vos temeritate, nos cõſilio, congredimur, ex quo fit nos æquatos pluribus, prudentiæ magis quã viribus fidentes, victoriã reportare. Plures autem temerè & imprudenter præliũ ineuntes malo affici, re ipſa potius, quàm verborũ elegãtiore ornatu didiciſtis. Manifeſtiſſimis indicijs & teſtimonijs in Scytharũ mala intuẽtes, nota teſtatáque dicemus. Illi exercitu trecẽtorũ milliũ hominũ, ab vtraque parte ripæ expoſitorũ, pugnãtes, omnib. viribus ſunt à nobis deleti & ſuperati. Cuius noſtræ virtutis, clara victoribus relicta ſunt monumenta, ex quibus immortalẽ nobis gloriam & nũc & ſequẽti tẽpore peperimus. Cum enim prępropero impetu ad ripas furore pręcipites incertamina ruiſſent, eorum temerariam & inconſultam ad aggrediẽdum

irruptionem, celerior breui poſt, pœnitentia eſt conſecuta. Et verò pro his, quæ in nos admiſiſtis & cõmeruiſtis, eas quas luiſtis pœnas, minimè ſufficere iudicauimus, niſi quoque in propriis finibus de vobis vltione ſumpta, quia nos priores iniuria affeceratis, abnauigaſſemus. Bellum enim dum adhuc fœdus erat, vltrò & non indictum aduerſum nos excitaſtis. Et cum, quod nobis obijceretis, non haberetis, quia vobis nullam iniuriam feceramus, in ſpes & cupiditates quaſdam erecti, vnà quoque vulgus veſtrum, in quo non eſt, neque ratio neque modus, ſpiritus ſumit, & exercitu comparato, nos aggredimini. Bellum igitur facere cogimur, non citrà ſpem, Deum nobis auxilio futurum. Sanctitatem enim fœderum minimè deriſui & ludibrio habemus. Iuthungi contrà, iniqua ratione nos adoriuntur, & iuſiurandum, & cætera, quantumuis firma fidei vincula pro nihilo ducunt. Equidem ex rebus ad volũtatem noſtram fluentibus, quid conſecuturũ ſit conijcientes, euentus rerum non abſque veri ſimilitudine, ex his quæ ante dicta ſunt, lætos conijcimus & animo pręſagimus. Et enim ex ſecundis rebus ſpes, hæc vero fiduciam

adfert, timor è contrà prudentia duce, in rebus administrandis, vtentes, quæ accidere possunt, non nisi re benè perpensa, opinione, præcipimus. Neque tamen ideo in rebus aduersis, tanquam viri athletæ, grauibus quibusque periculis exercitati, belli difficultatibus terremur. Hoc enim sperando lucrifacimus, quod non animum despondemus, neque oneri succumbimus. At verò vulgus vestrum, neque corporis, neque animi viribus valens simulatque cîs Rodanum, in fines nostros peruenit, cõtinua alimentorum penuria & lassitudine oppressum, vires ipsum & animus deficiunt. Cõtinuè angitur, modo his, modo aliis miseriis cõficitur. Fractum & debilitatum, quia sine intermissione laborat, minus audet & timidius est. itaque diuturnioris, tum studij tũ operæ nescium, sese nobis sine prælio præbebit, paratum subire, quicquid de eo statuerevoluerimus: ex quo omnes vestræ res in apertũ discrimen adducuntur. Tota autem vestra pacis petitionis oratio, quam vestro timori obtenditis, in honestate & decoro, si quà tamen honestũ & decorum admittitis, est posita. Sed cum sitis vndiq; reditu in vestras domos intercluſi, & quasi intra portas reda-

cti, volũtatem noſtram erga vos quacunque ſiue bona, ſiue mala ſumus affecti, tolerare & æqui boniq; conſulere oportet. His ab Imperatore dictis, Iuthungi valdè ſunt conſternati, cumque minime negotium, vt ſperauerant confeciſſent, ſed omninò fæderis repulſam tuliſſent, ad ſua redierunt.

Sub Aureliano Vãdali, omnibus copiis ſunt à Romanis ſuperati. Itaq; legationẽ ad Romanos decreuerunt, quæ de bello pacificatione finiẽdo ageret. Et cũ multa inter ſe Imperator & barbari diſſeruiſſent ſolutum eſt colloquium. Poſtridiè multitudo militum Romanorum rurſus conuenit & cum eos Imperator interrogaſſet, quid illis videretur de populis qui copiam ſui illis faciebãt, cum ſtatuerent præſentẽ proſperitatẽ tueri & rerũ quibus potiebantur fruitioni proſpici oportere, ſuam de ea re volũtatem voce ſignificauerunt & in ſententiam finiendi belli iuerunt, eóque vno conſenſu ſunt delati. Itaque barbarorum Reges & Principes venerũt, & vt illis erat præceptum, ex ſuis obſides qui non in ſecũdis partibus fortunæ & dignitatis hærebant, dederunt, vtriq; enim Reges & proximi dignitate vnà cũ ipſis, ſine mora filios ſuos pro ob-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [39] - 11

ſidibus tradiderunt. Poſt hæc ad pacta & conuentiones ventum eſt, & fœdera ſunt inita: Vandali Romanis duo mille equites auxiliarios ex fœdere ſuppeditabant, quorum nonnulli ex tota exercitus multitudine delecti, & in belli ſocietatem adſcripti, alij ſpontaneam militiam ſubeuntes nomina dederunt. Reliquus Vandalorum exercitus, ſaluus & incolumis cõſeruatus, Romanorum Imperatore, mercatum ad Iſtrum præbente, domum eſt reportatus. Sed quicunque ab exercitu violatis fœderibus, ad prædandum & rapinas faciendas longius exceſſerunt, omnes à Duce exterarum copiarum (erant autem non minus quàm quingenti) ſunt cæſi & perempti. Hi enim ſpecie amicitiæ, fiducia pacis cum Romanis factæ elati, nullo ſeruato ordine, venia à ſuo Duce impetrata, in repentinas quaſdam incurſiones eruperant & non pauca regionum loca, quà iter habuerant, vaſtauerant & damnis affecerant. At ille qui tãtum facinus admiſit, eſt ab eorum Rege iaculis confectus. Reliqui Vandalorum ab inuicem ſeparati, domos ſuas repetierũt. Romanorum verò Imperator, præmiſſa maiore parte ſuarũ copiarum, ſiue pedeſtrium, ſiue equeſtrium, nõ lon-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [40] - 12

go poſt eſt eas ſubſecutus interuallo, & ſecum cohortem auxiliariorum retinẽs omnes haſtatos qui eius cuſtodiam agebant, vnà cum Vandalis, quotquot illi auxiliarij aderant, & nobilibus, qui illi obſides dati erant, magna celeritate in Italiam contendit, in quam Iuthungi denuò irruperant.

FINIS DEXIPPI.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [41] - 13

EX HISTORIA EVNAPII SARDIANI.

CVM Iulianus in terram hostilem irrupisset, & Chamaui supplicarent, vt genti tanquàm quæ sua esset, parceret, assensus est, & eorum Regem, ad se venire iussit. Vt venit, vt eum ad ripam stantem vidit, de naui descendens (erat autem nauis telis instructa) per interpretem cum barbaris disseruit: Cum verò illi parati essent, imperata facere, & videret, pacem peropportunam esse suis rationibus, & necessariam, (etenim Chamauis inuitis, impossibile est, è Britannia Insula, Romanis coloniis commeatus & cibaria immittere) vtilitate adductus, pacem indulsit, & fidei firmandæ gratia, obsides accipere petiit. Cum dicerent, idoneos esse eos qui in bello capti erant. Hos, bellum, inquit, sibi tradidisse, quapropter ex fœdere minime sumere, sed

eorum qui tunc temporis apud ipsos essent, nobiliores postulare, nisi quid doli in pace conuenienda excogitarent, & comminiscerentur. Cum verò supplices orarent, & eum obtestarentur, vt palàm faceret, quos vellet accipere: iterum cum his sermone congrediens, ipsorum Regis filium petit, quem captiuum in sua potestate habebat, fingens tanquàm nõ haberet. Ad quæ Barbarorum Rex & barbari, ad pedes iacentes, fletu largo, & eiulatu vsi, precibus contenderunt, ne quid eis imperaret, quod præstare nequirent. Nec enim se posse, eos qui periissent, in vitam reuocare, & eos qui mortui essent obsides dare. Silentio facto, Barbarorum Rex, voce quàm maxima potuit, exclamauit: Vtinam viueret filius meus, vt tibi traditus obses, ô Cæsar! fœliciorem apud te seruitutem seruiret, quàm si regno meo potiretur. Sed sub te cecidit, quæ calamitas illi fortasse contigit, propterea quod, minime notus fuit. Belli enim periculis suum corpus iuuenis obiecit, quem idoneum pacis vadem censes, & tu nunc eum, ô Imperator, tanquàm is reuerà extet, exposcis. Ego verò miser nunc primum, lamentari incipio, quandoqui-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [43] - 15

dem qualem non habeo, nunc demum intelligo. Filium enim vnicum lugens,& pacem cõmunem vnà cum filio perdidi. Si meas miſerias tantas eſſe, quantæ ſunt, credideris,cõſolationem habebit dolor, quãtam omnium hominum miſerrimus capere poteſt: ſin fidem abrogaris,& pater infœlix, & Rex conſpiciar. Nec enim aliis,mea mala,tãtam commiſerationem mouebunt, quanta omnibus debetur,in talibus doloribus conſtitutis. Demantur publicæ calamitates,de aliis non cõquerar,tametſi miſer & infœlix ſim,ſed quod mihi neceſſitas imponitur, cõmunicare meas miſerias cum multis, in hoc tãtum regia poteſtate fruens, quod mihi ſoli non licet,infœlicem eſſe. Hæc vbi Imperator audiuit, apud animum ſuum, ſummo mœrore eſt affectus, & eorũ quæ dicta erant,commiſeratione punctus tenerè illachrymauit. Et quemadmodum in comœdiis, quãdo circà finem inſtitutorũ actuum, res inuolutæ & perplexæ, ad ambigua,& explicatu difficilia vergunt, Deus qui vocatur, tanquàm è machina introductus in mediũ trahitur, qui omnia cõponit, & triſtia lætis mutat. Ita Iulianus, cũ res in magna varietate verſari viderentur inter fletus omnium, cum hi

pacem

pacem peterent, ille non alia conditione daret, quam si obsidem traderent, quem se posse dare negabant; quippe quem se non habere dicebant, in medium adolescentem adductum, omnium cõspectui, atque oculis subiecit, regiè apud se educatum. Cúmque eum differere cum patre quæ volebat iussisset, ad ea quæ deinceps agenda erant aduertit. Quæ sunt consecuta, his cõsentanea fuerunt. Non protulit Sol diem qualis illa fuit, quam tunc videre & intueri, his qui aderant licuit. Barbari enim à mœrore & lamentis, stupore & admiratione correpti immobiles & fixi steterunt, tanquam Iulianus illis exhibuisset non adolescentem, sed adolescentis spectrum & idolum. At Imperator vbi quies & silentium à mysteriis fuit, grauiter in medio loquens. Hunc quidem, inquit, vt vos existimabatis, bellum perdiderat: sed Deus fortasse & Romanorum benignitas restituit. Habebo ego ipsum obsidem, neque eum à vobis ex conuentione, sed à bello ipso, contentus vicisse, & illum quidem amplissima quæque non deficient, dum mea consuetudine fruetur. Quod si conabimini, à conuentionibus initis & fœ-

dere discedere; omnium iacturam facietis. Hoc dico, non quod sæuiam in obsidem, quem apud me habeo, non tanquam pignus pacis & fœderis, sed à vobis meæ virtutis documentum & exemplar. Est enim impium, & minime Deo gratum, eos qui nihil commeruerunt, pro his qui deliquerunt morsu appetere & laniare, vt feræ bestiæ, quicquid occurrit & obuium est, nõ eos qui has persequuntur. Sed primum quia à vobis initium iniuriæ faciendæ orietur, & ad manus venietis, qua re nulla est capitalior pestis perniciesque hominibus, etiam si videantur, ad breue tempus, & quantum ad præsens attinet ad optata peruenire. Deinde, quia vobis res est cum Romanis, & mecum qui sum eorum Imperator, quem neque bellum gerentes, neque pacem facientes, vnquam superabitis. Procubuerunt his dictis omnes & post istos sermones Deum aliquem esse existimantes, illi fausta fœliciáque omnia sunt precati. Pacem igitur fecit, & solam Nebogasti matrem petijt, quam barbari fœdus approbantes statim dederunt. His confectis, Autumno ad finem vergente, & hieme ineunte, (iam

enim frigebat,) profectus est.

Badomarius nescio quis inter Germanos potentia & authoritate excelluit, quæ res eum ad tantam superbiam extulit, vt proprium filium, dum captiuos redderet, quos per excursiones cœperat; obsidem daret, & cum minime captiuos restitueret; nihilo minus obsidem sibi restitui postulauit, multa mala minatus, si non reciperet. Hunc vero Iulianus ad ipsum remisit, hoc adijciens, vnum adolescentem, & si nobilitate præstantem, non esse idoneum apud se pro multis obsidem. Sed aut captiuos, qui ad tria millia in eius potestate erant eum restituere oportere, aut se, iniusta facere sibi conscium esse. Hæc scripsit & legationem misit, quam non multò post est subsequutus, à Nemetibus ad Rhenum mouens, iam enim apud Rauracos erat, quæ est Romanorum colonia.

Post Iuliani ad Imperium euectionem, honorificæ ad eum legationes conuenerunt, & coronas aureas, à gentibus attulerunt, Ioniam habitantes ab eo nõ modo minus, quàm quod postulabant, sed multo plura petitis sunt consecuti. Lydi quoque Eunapio rhetore eorum legato,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [47] - 19

pro his verba faciente, multo ampliora, quam precibus ſuis complexi fuerant, obtinuerunt. Quæ legatio tam proſperè legato ſucceſſit, vt legatum quoque Imperator iuberet, cauſam quandam contra aduerſarium potentem & valde gratioſum agere. Qua in lite legatus ſuperior euaſit, & poſtquam iudicibus quæ volebat perſuaſiſſet, non paruam gloriam, ex facultate dicendi conſecutus, reportauit.

Valentinianus apud Nicæam Bithyniæ Imperator eſt appellatus: illuc multæ legationes aduenerunt, quæ coronas aureas ad ipſum adferebant, in his recipiendis minimè ſe præpoſterum aut feſtinantem, ſed facilem & benignum exhibuit, & paucis cum illis agens, iuſſit vt celeriter mandata ſibi munia exequerentur.

Valenti qui ocium agebat ab externis & domeſticis bellis, nuntiatum eſt, collectum Scytharum exercitum propè iam adeſſe. Hi verò erant, quos Procopius in ſuum auxilium à Scytharum Rege impetrauerat. Hos aiebant magno cũ faſtu & arrogantia incedere, omnia quæ ſe eorum conſpectui obtuliſſent deſpicere, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [48] - 20

nihili facere, propterea quod quicquid iniuriæ inferebant, id impunè faciebant; & arroganter & superbè se cum omnibus gerebant. Hos Imperator intra breue tempus intercluſos in Scythiam reditu intra munimenta compulit & arma tradere iuſſit: & verò tradiderunt, vt etiam, ad motum capillorum vſque mentis ferociam indicarent.

Hos igitur per vrbes diſperſos in libera cuſtodia habuit, & contemptum eorum excitauit, his qui viderunt eorum corpora, in agreſtem magnitudinem ſurgentia, grauiora circa pedes, reliquis partibus exilia, qualia Ariſtoteles, animalia infecta dicit. At vrbium incolæ cum Scythas qui ſe ſibi tradiderant, in ſuas domos admiſiſſent, vbi eorum virium imbecillitatis periculum fecerunt, ſuæ opinionis errorem irridere coacti ſunt. Ab his Scytharum Rex, nobili genere ortos repetiit. Erat hoc negotium arduum & huiuſmodi quod non facilè poſſet ad iuſti rationem expendi. Dicebat enim ſe hos fide iuramento habita ad ſuppetias Imperatori miſiſſe. Valentinus verò negabat, eum ad quem miſerat Imperatorem fuiſſe, neque ſe iuraſſe; ille Iu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [49] - 21

lianum in medium adducebat, ſéque hoc eius conſanguinitati dediſſe.

Legatorum etiam dignitatem, tanquam legatorum loco eſſent, obtendebant: Imperator contra diſſerebat etiam legatos iure teneri & eos qui præſentes erant hoſtium numero habere, quandoquidem hoſtibus auxilium latum veniſſent. Ex his cauſis Scythicum excitatum eſt bellum & dignitate gentium quæ coierunt, & magnitudine apparatuum qui in immenſum prouenerunt & excreuerunt vario calamitatum genere & inconſtantia fortunæ, inter præcipua cenſendum, quod tamen acumine iudicij Imperatoris & prouidentia eſt pacatum & in commodiorem & firmiorem ſtatum res redactæ.

Scythæ victi & ab Hunnis cæſi & eorum magno numero ad internecionem vſque deleto, (omnes enim qui comprehendi potuerunt cum mulieribus & eorum filiis interempti ſunt cum nullus crudelitatis & cedium eſſet modus) in magnam multitudinem coaluerunt, & non minus quam hominum ducenta millia, qui ad bellum apti, & ætate florentes erant vt fugerent, conuenerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [50] - 22

Itaque profecti & ad ripam ſtantes, manus è longinquo, porrigebant, & preces cum fletu & vociferatione emittebant, traiectionem ſibi concedi flagitantes, ſuam cladem deplorabant, & ſe illis præbituros auxilij acceſſionem ſpondebant. At Romani qui ripis præerant nihil ſe niſi Imperatoris iuſſu facturos reſponderunt. Quamobrem huius rei cognitio eſt ad Imperatorem delata. Cum res in magna varietate verſaretur multáque in vtrámque partem in conſiſtorio Principis dicta eſſent, tandem in ſententiam Imperatoris itum eſt & factum Senatuſconſultum, ex æmulatione quam habebat, cum his qui Imperium cum eo tenebant. Erant autem filij fratris, & vero ipſi, primæ partes attribuebantur, ſed illi Imperatoriam poteſtatem ex æquis partibus inter omnes diuidi oportere, cenſebant, neque vlla in re patruo cõcedebant. His cauſis impulſus, tum etiam quia maxima acceſſio potentiæ præſto erat Romanis, iuſſit Scythas admitti, modo arma deponerent. Antequam armorum abiectio eſſet ab Imperatore imperata, Scytharum audaciores & elatiores tranſitum ſibi vi aperire conſtitue-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [51] - 23

runt, sed vi repulsi deleti sunt. At illi qui eam Scytharum exercitus partem à reliquo separatam confecerunt, magistratu priuati sunt & capitis periculum adierunt. Ad hũc modum his qui sibi aduersabãtur, exitio fuerunt. Qui autem apud Imperatorem primas partes gratię occupabant, & plurimum apud ipsum valebant, eos irridebant, tanquam homines militares, & bello quidem aptos, sed prorsus rerum ciuilium rudes & imperitos esse dicebant. Iusserat autem Imperator ab Antiochia, vt primum imbellem & nulli vsui aptam susciperent ætatem, & per Romanorum ditionis terras dimitterent, & tanquam obsides tuto loco haberent. Neque eo secius milites ad ripas consistere, vt turbas pugnæ aptas minime transgredi, sinerent, neq; nauigia illis ad traiectionem præberent, priusquam arma deposuissent quo nudos transmitterent. Eorum autem qui ista mandata exceperunt exarsit hic, in amorem vnius pueri candidi & vultu grati, ex his qui traiecti fuerant, alter misertus est vxoris formosæ vnius ex captiuis. Hic captiuus fuit sub virgine formosa, alios magnitudo munerum cœpit, linea vestimenta, &

ſtragula ab vtraque parte fimbriata.

Plane vnuſquiſque ipſorum hoc propoſiti habuit, vt ſuas domos ſeruis replerent, & villas pecudibus, & in omnem libidinis licentiam proruperunt. Itaque victi à Scythis victoria fædiſſima & diſſolutiſſima; eos tanquam benefactores, & ſeruatores priſcos cum armis exceperũt. At illi tanta re ſine vllo labore adepta, ex clade quam domi acceperãt, ſuam comparauerunt proſperitatem. Nam pro deſertis Scythiæ locis: & barathro, in Romanum inuaſerunt imperium. Atque adeò, iam tum barbara eorum natura & perfidia, ex eo quod fœdera pro nihilo ducebant, apparuit. Etenim ætas inutilis, à traiectione ſuſcepta magno ſtudio & cura, eorum qui hoc conſilij dederant, per gentes & nationes, vt habitaret, eſt diſperſa. Domeſtici, vxores, filij hi quidem ſigna regia gerebant. Illas autem conſpicere erat mollius & venuſtius quàm captiuas decebat veſtitas. At captiuorum filij, & quicquid illis fuit mancipiorum, aëris temperie in altum ſe ſuſtulerunt, & præter ætatem pubuerunt & in immenſam multitudinem adnatum & auctum eſt hoſtium genus. Ferunt

priſcæ fabulæ per Bœotiam & Colchi-
da, ex Draconum dentibus ſeminatis ho-
mines cum armis ſimul cum ſemine pro-
ſilijſſe. Noſtra autem ætas hanc fabulam
re & euentu, veram eſſe declarauit. Haud
ſecus enim contigit vt Scythici generis
filij, per Romanorum ditionis terras, tã-
quam dentes, diſperſi ſimul atque tem-
pore ad ætatem, qua arma ferre potue-
runt peruenerunt, totii racundia & furo-
re perciti in cædibus verſati ſint. Itaque
flos Scythici roboris, & nobilitatis, ſi-
mulatque pugnæ aptus fuit, ſeſe ſuſtulit
& longè grauiora & atrociora, quam
paſſi fuerãt, ſunt auſi. Omnis enim Thra-
cia & continens regio Macedonia &
Theſſalia talis tantaque eſt, & in ea tam
multa aratra terram verſant, vt nulla ora-
tione earum fertilitas exprimi poſſit.
Hanc talem exiſtentem, tam populoſam
beatam ſimul & à tam ſtrenuis & forti-
bus viris habitatam & cultam, Scytha-
rum infidelis & inſana rebellio, quam ſta-
tim à traiectione audaciores & ſuperbio-
res facti animo voluerant, in eum con-
temptum adduxit & vſque eo ſpoliauit,
vt ſi alicubi aurum eſſe indicaretur, dum
Thracia in his malis erat, illud vt eſt in

prouerbio, Mysorum præda esset. Visum autem est illis seditionem excitare, cum nullæ copiæ adessent quæ pugnare & illis resistere possent. Et multitudine quidem hominibus incautis & sine armis erant terrori & in cædes erga deuictos effusi, omnia late mortalibus nudarunt. Causa quæsita erat, quia æque constitutum fuerat neque Hunnorum nomen Scythas, neque Romanos Scytharum ferre. Ex ciuitatibus paucæ mœnibus & propugnaculis tutæ, quas facile est enumerare integræ & illesæ permanserunt, & adhuc permanent. Sed regio ipsa quà plurimum, est vastata, & eo per bella reducta vt habitari, incoli, & adiri iam amplius non possit. Imperator autem vt de tot tantisque malis quæ narrari non possunt factus est certior, cum seipso certans, pacem cum Persis necessariò facere est coactus. Etenim Scythas susceperat & susçepisse pœnitebat. Itaque animum confirmauit & totus in illud bellum incumbens præmittit Saracenorum equitatum qui barbarorum impetum reprimeret. Iam enim vsque ad Cõstantinopolim excurrebant, & tanquam eam obsidentes, intra mœnia turbas cie-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [55] - 27

bant. Et cum nullas copias quæ illis resistere possent cernerent, per omne genus iniuriæ & contumeliæ grassari statuebant. Vnde fortuna tunc temporis manifeste visa est bellè pro Romanis militasse.

Sub Theodosio primis eius Imperij annis Scytharum gens sedibus suis excita, & ab Hunnis expulsa, vnà cum suarum tribuum ducibus & aliis qui genere & nobilitate præstabant traiecerunt & honoribus ab Imperatore delatis arrogantiores facti & omnia in se posita conspicientes, inter se non paruam seditionem excitarunt. Alij contenti esse frui præsenti prosperitate, alij iusiurandum quod domi præstiterant, seruare volebant, neque sibi transgrediendas cõuentiones & pacta censebant. Illa autem pacta erant, immaniſſima, & in omnem crudelitatem barbarorum animos agentia: Omni ratione Romanis insidias tendere & omni arte & fraude illos quorum summa in eos constabant merita, aggredi & circumuenire; neque quiescere, donec omni illorum regione potiti essent. De hoc erat, inter Scythas seditio, & inter se dissidentes, in duas contrarias partes lati

sunt. Alij in deteriorem, quæ insidias facere proponebat, alij in benigniorem sententiam vergebant, vtraque tamen pars, seditionis causam occultabat. Nihilominus Imperator illos honorare nō desistebat, & modo suæ mensæ participes, modo sub eodem tentorio degentes admittebat. Erat autem sanctioris & Dei charæ partis Dux Fabrithus, ætate quidem iuuenis, sed qui cum virtutem excoluisset, & veritati studuisset, & in his se exercuisset, omnium hominum præstantissimus euaserat. Deos ille sibi ad antiquum morem colendos statuebat, neque illi vllus inerat dolus. Non ille quicquam per fraudem & malitiam fingeret, quò sibi potentiam compararet, puro, simplici & candido animo, inter homines agebat. Peiorem portis inferni, eum esse ducebat, qui aliud in pectore, versabat, aliud ore proferebat. Vxorem Romanam expetiuit, ne propter corporis necessitatem, iniurius esse cogeretur. Et Imperator secundum parentis arbitrium, dedit ius nuptiarum, etenim puella sub patre nutriebatur. Is cum rem esset admiratus, beatum se ducebat, quod talem generum nactus esset. Ex eo fa-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [57] - 29

ctum eſt, vt nonnulli, ſed admodum pauci, adoleſcentis virtutem & pietatem reueriti, ad eius cauſam ſe adiunxerunt. Multò vero plures & hi potentiores, quę ſemel ab initio decreuerant, tuenda ſibi ducere, & conceptas inſidias parturientes, inſanire & furere. Horum Princeps erat Erulfus vir impotens & furibundus. Cum autem illos Imperator, conuiuio oppipariore excepiſſet, verum eſſe illud antiquum prouerbium apparuit, in vino Dionyſij veritatem eſſe. Nam ab his in apertum perlata eſt ſeditionis cauſa. Soluitur igitur conuiuium inconditè, & magna cum commotione & confuſione, conuiuæ tumultuantes, foras proſiliunt. At Fabrithus, quę erat eius virtutis magnitudo, ſi ſtatim proſiliret, pulchrius & iuſtius ſe facturum viſus eſt exiſtimare. Itaque non expectato alio tempore enſe educto latus Erulfi confodit & ille quidem occubuit; cum antè in ſomniis violentam & iniuſtam aggreſſionem præuidiſſet. *Multa deſunt.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [58] - 30

EX HISTORIA PETRI PATRICII ET MAGISTRI.

PARTHI petierunt à Tiberio, vt sibi Regem ex obsidibus daret, & dedit ipsis Phrahatem Phraatis filium. Cum autem in itinere vitam morte commutasset: Tiberius misit Tiridatem ex genere regio. Et quò facilius regnum capesseret, scripsit Mithridati Iberorum Regi, vt in Armeniam descenderet, quò se Artabanus è domo conferret suppetias filio laturus. Et Tiridates quidem quà ceperat pergens regnum obtinuit. Sed non diu regnauit. Nam Artabanus Scythas assumens, minimo negotio eum regno expulit. Et hæc de Parthis.

Mithridates Iberorum Rex nouas res tentauit & se ad bellum Romanis inferendum præparauit. Huic mater cõtradixit, & quoniam non persuade[illegible]

gere voluit. At ille, quamuis in apparatu esset, volebat tegere, quod susceperat. Itaque Cotim fratrem mittit legatum ad Claudium, qui gratulationes deferret, sed non ex fide legationem obiit, & omnia quæ frater animo voluerat enuntiauit, & Rex Iberiæ Mithridatis loco constituitur.

Decebalus Dacorum Rex per præconem pacem Domitiano denuntiauit. Quamobrem Domitianus Fuscum misit cum magna manu. Hoc vbi Decebalus didicit; ad eum rursus legatum misit qui cum irrisione illi diceret se pacem facturum, si vnusquisque Romanorum vellet illi quotannis pendere duos obolos, sin minus, ausurum & magna mala illis illaturum.

Decebalus misit ad Traianum legatos ex his qui pileos ferunt (hi enim apud Parthos sunt honoratiores.) Prius autem comites miserat qui apud eos viliores habentur. Hi cum ad Traianum veniissent, abiecerunt arma & manibus post terga vinctis mancipiorum & captiuorum instar, Traianum orarunt, vt cum Decebalo in colloquium veniret.

Rursus Decebalus legationem ad Traia-

Traianum misit quæ denuntiaret, vt à bello cessaretur. Pollicebatur se omnia arma & bellica instrumenta Traiano redditurum & Romanos machinarum fabricatores & transfugas, qui apud eum essent, & omnia præsidia, & castella quæ extruxisset, diruturum. Cessurum quoque omni terra qua Traianus potitus esset & eius & Romanorum hostes, pro suis hostibus habiturum, neque post hac vllos transfugas admissurum; neque vllum militem Romanorum retenturum. Has conditiones hac legatione propositas Traianus approbauit. At Decebalus, in conspectu Traiani arma abiecit, & in terram cadens eum adorauit & ad eius pedes prostratus iacuit. Legatos etiam Romam misit, qui quoque mancipiorum more erant manibus vinctis.

Sex millia Longobardorum & Obiorum Istrum traiecerunt, in quos Vindicis equites, & pedites quorum Dux erat Candidus, irruerunt & in fugam versi sunt. Prima statim inuasione terrore barbari perculsi, legatos ad Ælium Bassum qui Pannoniam prouinciam obtinebat mittunt Ballomarium Regem Marcomannorum, vnà cùm aliis decem ex vna

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [61] - 33

quaque gente vno electo. Sic pace iureiurando firmata legati domum redierunt.

Quadi legatos miserunt ad Marcum pacem petituros, & consecuti sunt. Itaque multos equos & multas boues dederunt: & tredecem mille captiuos, & plures etiam postea libertati restituerunt.

Venerunt & Astringi & Lacoragi in auxilium Marci.

Carporum gens inuidia flagrabat quod Gothi stipendia à Romanis accipiebant. Itaque legationem miserunt ad Tullium Menophilum, & arroganter pecunias ab illo petierunt. Erat ille Dux Mysiæ & singulis diebus exercitum ad bellum exercebat: & cum Carpos insolentes & superbos esse accepisset, per plures dies eos non admisit, sed tamen potestatem eis fecit cum exercitus exercebatur vt milites conspicerent: & cum satis prorogatione temporis diem de die ducens superbos illorum spiritus fregisset & retudisset, sedens in alto suggestu: primarios totius exercitus viros circa se adhibuit, & Carpos excepit, nullaque illorum habita ratione in medio militum, dum le-

gationem ſuam exponerent, tanquam aliud agens & longè illi eſſent grauiora negotia, ſermonem cum aliis habebat. At illi deſpectui habiti nihil aliud dixerunt niſi quia Gothi, inquiunt, à vobis ſtipendium accipiunt, cur nos quoque non accipimus? Quibus Menophilus, Cum Imperator noſter multarum pecuniarum ſit dominus, liberalitatem ſuam exercet erga eos qui vt in ſe beneficus ſit ſuppliciter petunt. Nos quoque, inquierunt, ſupplicantium numero habeat, & nobis eadem largiatur. Sumus enim Gothis præſtantiores. Ridens Menophilus, Meæ, ait, ſunt iſtæ partes de his ad Imperatorem referre. Redite igitur intra quatuor menſes, in hunc eundem locum, & reſponſum accipietis. Et ſimul illinc abiit & milites exercuit. Poſt quatuor menſes Carpi redierunt. In quibus admittendis cum eadem forma qua prius vſus fuiſſet & rationem negotium in alios tres menſes reijciendi, reperiſſet, cum tandem iterum eos vt prius coram alio exercitu excepiſſet, illis hoc reſponſum dedit. Nihil prorſus Imperator vobis ex cõuentione dabit. Sed ſi gratificatione indigetis accedite ad eum, & ad eius pedes procum-

bite & ei ſupplicate, & veriſimile eſt eum veſtras preces admiſſurum. At illi indignati receſſerunt & per tres annos quibus Menophilus in prouincia cum imperio fuit, quieuerunt.

Sapores Perſarum Rex vt cum ſuis eſt Eufratem trãſgreſſus, milites ſeſe amanter amplexi, ſibi inuicem gratulati ſunt; quod imminens periculum effugiſſent, & ad eos qui Edeſſæ ſtipendia faciebant mittit qui promitterent ſe illis daturum omne Syrium numiſma quod penes ſe erat, vt ſine vlla moleſtia ipſum iter pergere ſinerent neque ſe in dubiam periculi aleam conijcerent, vt illi negotium faceſſerent & ab inſtituto itinere retardarent. Neque verò ſe tanquam ipſos timeret hæc dare dixit, ſed domum feſtinare vt feſtum ageret & minime cupere vllam moram ſuo itineri interponi. Milites autem ſatius duxerunt pericula euitare & eos ſinere tranſire & aurum accipere.

Vandali victi miſerunt legationem ad Aurelianum, pacem poſcentes. Aurelianus lubenti animo eos excepit, & pactione pacis cum ipſis facta, abierunt.

Appharban cum amiciſſimus Narſæo

Persarum Regi esset missus ad legationem supplex Galerio occurrit. Is potestate loquendi indulta, dixit Romanum & Persicum Imperium esse tãquam duo luminaria : & oportere alterum alterius sicut oculos, luce & splendore illustrari, neque ad totam extinctionem & euersionem inuicem sibi molestos & graues esse. Hoc enim non virtus sed magis leuitas & mollities censeretur. Quibus enim nihil generosi inest quo se tueri & confirmare possint, conantur eos qui illis aduersantur tollere & euertere. Non oportere autem, Narsęum omnibus aliis Regibus imbecilliorem existimare. Sed Galerium tanto reliquis Regibus superiorem esse, vt ab eo solo merito Narsæus victus sit, tametsi ne Narsæus quidem à suorum maiorum virtute absit. Præterea dixit Appharban imperatum sibi fuisse à Narsæo, vt etiamsi æquitas à Persis staret, tamen de iure proprij regni decederet, & omnem rem Romanorum humanitati committeret, neque conditiones ferret quibus pacem fieri vellet, sed id omne Imperatoris arbitrio permitteret. Hoc solùm ipsum hortari, vt sibi vxorem & filios redderet, quos si

ſponte redderet, multo deuinctior illi futurus foret, quàm ſi armis reciperet, pro quibus ne nunc quidem ſatis pro merito gratias agere poſſet.

Perſæ captiui, haud quicquam in captiuitate contumeliæ paſſi ſunt, ſed ita in mancipio fuerunt, vt parum abeſſet, quin æquè liberaliter haberentur, ac ſi domi ſuæ vt nobiles ſolent, fuiſſent. Hic legatus à Perſis in memoriam reuocauit, rerum humanarum inſtabilitatem & inconſtantiam. Ad quæ viſus eſt Galerius ſubiraſci, & toto corpore commotus. Non rectè Perſas, ait, petere, alios varietatis & inconſtantiæ rerum humanarum meminiſſe, etenim cum ſecundæ res illis contigerunt, non deſtiterunt hominum calamitatibus & miſeriis inſultare. Belle ſcilicet enim quantum ad Valerianum moderationem in victoria tenuerunt. Ex vobis nonnulli eum circumvenientes cepiſtis, & vſque ad extremam ſenectutem & mortem turpem & fœdam non dimiſiſtis. Etiam poſt mortem nefaria arte cutem eius cuſtodientes, mortali corpori, immortalem ignominiam inuſiſtis. In iſta digreſſus eſt imperator & dixit ſe quidem flecti

non quidem his quorum Persæ in legatione mentionem fecerant, oportere in rerum humanarum varietatem intueri: ob hoc, enim si quis ad ea quæ Persæ cõmiserant, aduertat, oportere in iram ferri, sed se vestigiis maiorum insistere. His enim moris fuit parcere subiectis & debellare superbos. Itaque iussit ei qui legatione fungebatur Regi suo Romanorum mãsuetudinem & clementiam, quorum virtutis periculum feciſſet renuntiare, & speraret non multò post fore vt impetrata ab Imperatore venia captiui ad ipsum redirent.

Licinnius Legatum ad Constantinum Mestrianum comitem mittit. Eum Constantinus cum ad se veniſſet, longo tempore detinuit, dum ad belli incerta animum adijceret, quia qui partes Licinnij fouebant occulta machinatione vtentes, quominus Constantinus imperij gubernacula capeſſeret, moram inijciebant. Excepit igitur legatum Constantinus: ille verò à duobus Imperatoribus de pace legatus venerat. Et dicebat. Non oportere eum qui de ciuibus suis victoriam reportaſſet apud animum suum exasperari. Quicquid enim reſtat,

ex eo, quod periit, si quoque pereat victori, non victo perire; & si alterutri pacem denegauerit, multorum bellorum ciuilium erit causa & author. At Imperator & vultu & motu corporis acerbitatem iræ in quam prolapsus est, demonstrans, vix vocem emittens dixit. Non ita nos ad hoc vsque tempus gessimus, neque ideò ab Oceano, huc bellum gerentes, & vincentes peruenimus. Nolumus enim vel propriũ generum, propter eius nefanda scelera imperij participem habere & affinitati nuntiũ remittimus. Nedum etiam vile mancipium cum ipso in imperium introducemus. Iussit igitur Mestrianum hac legationis parte omissa, si quid aliud vellet promere. Et visum est Valentem ab imperio deijcere.

Magnentius & Britannio, mittunt legatos ad Constantium. Mittuntur autem, Rufinus, & Marcellinus. Hic Præfectus Prætorio, ille alterius agminis ductor, & Nounechius Senatus Princeps, & Maximus cum ipsis, qui adhortarentur Constantium vt ab armis abstineret, & primum honoris gradum in imperio obtineret. Magnentius Cõstantio filiam desponderet, & ille quoque in vxorem

acciperet Constantiam Constantij sororem. Itaque Imperator Cõstantius admisit Britannionis & Magnentij legatos, quorum vnus Constantium quo in statu res quo ad præsens essent, monuit cum diceret: Non oportere ipsum inconsiderate, tametsi ne nũc quidem ab hostibus premeretur, duos contrà se Imperatores, rei militaris peritos, & inter se vnanimes, & integris viribus, ad bellum prouocare. Quod nisi aliqui reperiantur qui paci consulant, quales quantique sint, si se ad bellum ciuile comparauerint, siue vnus solus, siue vterque simul, cupere, ipsum non aliunde discere, quàm ex egregiis facinoribus, quæ ante ediderunt, quando militantes, illi suóque generi prospere rebus gestis triumphos pepererunt. Et Nunechius statim, vt loqui ceperat, dixerat Magnentium pacem petere. Cum hanc legationem audisset Imperator, magnam illi ea res curam & sollicitudinem attulit. Itaque ad somnum conuersus, vidit in somnis patrem tanquam ex alto descendentem. In manu tenebat Constantem à Magnentio peremptum quem Constantio exhibens hæc illi dicere visus est: Constanti

ecce Constans multorum Regum progenies, meus filius, frater tuus nefariè necatus, neque Imperium labefactatum, neque rempubl. euersam negligas, neque si quis tibi minetur terrore afficiaris, sed gloriam quæ inde te manet cuicumq; oppugnationi præponas, neq; multum fratrem tuum relinquas. Hoc ostento viso, est expergefactus & legatos, præter Ruffinum, in vincula conjecit.

Sub Constantio legatià Persis venêre, cuius legationis Princeps Narses asperitatem litterarum quas adferebat lenitate morum suorum temperauit, easque legendas tradidit.

Barbari sub Iuliano Apostata pacem petierunt, ille vero profectus est vt cum illis transigeret & obsides sibi dari petiit. Barbari responderunt quàm plurimos esse in bello captos neque à se tradi posse. At ille dixit se quærere pacis pignora, viderent, si qui essent apud ipsos huic rei apti & idonei. Cum nihil abnuerent, sed daturos promitterent, quos elegisset, Regis filium poscit, quem vnum pro multis obsidem detineret. Sed barbari ipsum periisse existimantes, ad

luctum & mœrorem vnà cum Rege conuersi, obtestati sunt Cæsarem ne à se ea quæ præstare non possent, peteret: quod faciebat cum eos, qui iam fatò functi erant, sibi dari postulabat; quod cum faceret satis se fœdera facere nolle indicabat.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [71] - 43

EX HISTORIA EIVSDEM PETRI PATRICII.

VALERIANVS, neà Perſis oppugnaretur, timens (fame enim eius exercitus laborabat) & maximè Mauriſij, infinitam auri quantitatem accumulans, miſit legatos ad Saporem, & magnis largitionibus bellum ſoluere voluit. Sed Sapores, famem vrgentem edoctus, & interpellatione Valeriani elatus, legatos diſtinens, deinde re infecta dimittens, eos eſt ſubſecutus.

Denathus Saporem, tanquàm longè Romanis præſtantiorem, multum coluit, & obſeruauit, & cupiens eum ſibi deuincire, dona magnifica Camelis imponens, earum rerum, quæ facilè portari poſſent quarum Perſis non erat ferax, ad eum mittit, cum litteris, quibus eum orabat, vt æqui bonique conſuleret, ſi

ad eum ſcriberet. Se enim ſemper vtilitatibus Perſarum paruiſſe, neque quicquam cõtrarium illorum rationibus, vnquam ſenſiſſe. At ille iuſſit, ſeruos ſuos, poſtquam recepiſſent munera, ea, in proximũ fluentem proijcere, & eius litteras laceratas pedibus cõculcare. Hæc quoque palam protulit. Quis & vnde iſte eſt, qui eo temeritatis deuenit, vt audeat ad ſuum dominum ſcribere? Nunc ſi velit leuiori pœna affici, manibus à tergo reuinctis, proſternat ſe antè me. Si non faciat, ſciat me illum, & omne eius genus, perditurum & extinctum.

Galerius & Diocletianus Niſibi conuenerunt. Ibi communicato conſilio, mittunt legatum in Perſidem Sicorium Probrum Contra ſcribam à memoria. Hunc Narſæus, quia ex his, quæ ſibi nuntiata fuerant, ſpem ſe optata conſecuturum conceperat, benignè & comiter excepit. Legatum tamen, aliquandiu admittere ſuſtinuit, tanquàm veller Sicorium & eius comites à longa via, laſſos, & defeſſos, & recreare & reficere. Deinde Sicorium ad Aſprundum Mediæ fluuium vſque pertraxit. Qua de cauſa id Rex faceret, Legatus ignorabat, do-

nec cum milites, qui illic per bellum dispersi erant, conueniissent, in interiori conclaui Regis, admissus, reliquis omnibus abire iussis, contentus præsentia Appharbæ & Archepeti & Barsabourśi, quorum alter erat Præfectus Prætorio, alter Sumij præfecturam obtinebat, iussit Probo suam legationem referre. Erant autem, capita legationis, hæc. Vt Romani in Oriente haberent Intilicem, cum Sophene, Arsanicem cum Cardonene, & Zabdicene; & Tigris fluuius vtriusque Imperij limes esset. Zintha Castrum, in confinibus Mediæ situm, Armeniam terminaret, Rex Iberiæ regni sui insignia, à Romanis accepta susciperet. Conuentionum locus Nisibis, ad Tigrim amnem sita, esset. Quæ vbi audiuit Narsæus, quandoquidem, quæ erat eius fortuna, nihil quicquam eorum, licebat illi denegare, consensit, & approbauit præterquàm quod, ne ista omnia videretur, necessitate coactus, facere, solummodo abnuit cõuentionum locum esse Nisibim. In hoc existimauit Sicorius, esse Regi indulgendum. Cætera enim legationis consensit, neque quicquam aliud mutauit, ex his, quæ

Imperator perſcripſerat. His tranſactis reſtitutæ ſunt illis eius vxores integræ, debita erga illas temperantia, obſeruata, & liberi quoque, qui liberaliter habiti fuerant.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [75] - 47

EX HISTORIA PRISCI RHETORIS EXCERPTA.

C. CANTOCLARO INTERPRETE.

SCYTHÆ, quo tempore mercatus Scytharum, & Romanorũ frequẽti multitudine celebrabatur, Romanos cum exercitu sunt adorti, & multos occiderũt. Romani ad Scythas miserunt, qui de præsidij expugnatione, & fœderum cõtemptu, cũ eis expostularent. Hi verò se non vltrò bellum inferentes, sed factas iniurias vlciscentes, hæc feciſſe respondérunt. Margi enim Episcopum in suos fines transgressum, Regum suorum loculos, & reconditos thesauros indagatum expillasse. Hunc nisi dederent, vnà cum transfugis, vt fœderibus conuenerat, (esse enim apud eos plures) bellum illaturos. Quæ cùm Romani vera esse negarent,

garent, barbari verò in eorum, quæ dicebant, fide perſtarent, iudicium quidem de his, quæ in contentione poſita erant, ſubire minimè voluerunt; ſed ad bellum conuerſi ſunt. Itaque tranſmiſſo Iſtro, oppidis, & caſtellis ad ripam ſitis, plurima damna intulerunt, & inter cætera Viminacium, quæ Myſorum vrbs eſt in Illyrico, ceperunt. His geſtis, cùm multi in ſermonibus dictitarent. Epiſcopum dedi oportere; ne vnius hominis cauſa, vniuerſa Romanorum reſpublica belli periculum ſuſtineret: ille ſe deditũ iri ſuſpicatus, clam omnibus ciuitatem incolentibus, ad hoſtes effugit, & vrbem traditurum, ſi ſibi Scytharum Reges liberalitate ſua conſulerent, pollicitus eſt. Ad ea, cùm beneficium omni ratione repenſuros promitterent, ſi rem ad exitum perduceret, datis dextris, & dictis iureiurando vtrinque præſtito firmatis, Epiſcopus, cum magna barbarorum multitudine, in fines Romanorum eſt reuerſus. Eam multitudinem cùm ex aduerſo ripæ, in inſidiis collocaſſet, nocte dato ſigno exilijt, & vrbem inimicorum ditionis, poteſtatíſque fecit. Et ab eo tempore, barbarorum res in diem au-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [77] - 49

ctiores, melioréſque fuerunt.

Sub Theodoſio Iuniore Imperatore, Attillas Hunnorum Rex delectum ex ſuis habuit, & litteras ad Imperatorem ſcripſit de exulibus, & de tributis; exules, vt quicumque occaſione huius belli redditi non eſſent, quàm citiſsimè ad ſe remitterentur. Quantum ad tributa, vt eorum proximæ deſcriptionis gratia, legati de his ſecum acturi ad ſe venirent, ne, ſi cunctarentur, Scythæ in bellum prorumperent. Nec enim iam, etiamſi velit, in ſua poteſtate eſſe, Scytharum multitudinem diutius continere. His litteris lectis, Imperator nequaquam eos ex Scythis, qui ad ſe confugiſſent, traditurum dixit. Sed vnà cum illis in animo ſibi eſſe, belli euentum expectare. Cæterùm ſe legatos miſſurum, controuerſias dirempturos. Ea ſicuti Romani decreuerant, vbi Attillas reſciuit, ira commotus, Romanorum fines vaſtauit, & caſtellis quibuſdam dirutis, in Ratiariã vrbem magnam, & populi multitudine abundantem, irruptionem fecit.

Poſt Cherſonenſem pugnam, Romani cum Hunnis pacem per Anatolium legatum fecerunt, & in has conditiones

conuenerunt. Profugos Hunnis reddi, ſex mille auri libras pro præteritis ſtipendijs ſolui. Duo mille & centum, in poſterum ſingulis annis, tributi nomine pendi. Pro vno quoque captiuo Romano, qui in Romanorum fines, non ſoluto redemptionis pretio, euaſiſſet, duodecim aureorum mulctam inferri. Quæ ſi non ſolueretur, qui captiuum recepiſſet reſtituere teneri. Romanos neminẽ ex barbaris ad ſe confugientem admittere. In has quidem fœderum leges, Romani ſponte conſenſiſſe, videri volebãt: ſed certè, neceſſitate coacti. Superante enim metu, qui Romanorum Ducum mentes occupauerat, quãtumuis duras, & iniquas cõditiones ſibi impoſitas (quo pacis conſequendæ ſtudio tenebantur) lubentibus animis ſuſceperunt. Imò & tributi collationi ceſſerunt, quod illis fuit grauiſſimum, & maximè moleſtum: Regij enim theſauri, & priuatorũ facultates, in abſurda ſpectacula, in vanos honorum ambitus, & titulos, in delicias, & voluptates, conſumptæ fuerant tam profuſis ſumptibus, vt eos nemo ſanæ mentis, vel in maximè affluentibus diuitiarum copijs ſuſtineret, aut toleraret.

Prætereà armorum, & rei militaris ſtudium neglexerant, vt non ſolum Scythis, ſed & reliquis barbaris, qui proximas Imperij Romani regiones incolebant, quoad tributorum penſitationem parerent. Itaque tributa & pecunias, quas ad Hunnos deferri oportebat, quibus exactio mandata erat, omnes conferre coëgerunt: nulla etiam eorum immunitatis habita ratione, qui terræ onere, tanquam nimis graui ad tempus, ſiue Imperatorum benignitate, ſeu iudicum ſententia, leuati erant. Conferebant etiam aurum indictum, qui altiùs repetita temporum memoria, in Senatum aſcripti fuerant, vltrà quàm facultates ferre poterant, & multis ſplendida, & illuſtris fortuna vitæ commutationem attulit. Conficiebantur enim illæ pecuniæ, cum acerbitate, & contumelia, pro arbitrio, & vt ſcripto vnumquemque adnotauerant, quibus huius rei cura ab Imperatore erat demandata. Ex quo, qui antiquas, & à maioribus acceptas diuitias poſſidebant, mundum vxorum, & pretioſam ſuam ſupellectilem, in foro palàm, & publicè, venum exponebant. Ab hoc bello, tam atrox, & acerba ca-

lamitas Romanos excepit, vt multi ſibi violentas manus attulerint, aut aptato collo laqueo, vitam finierint. Tunc igitur, paruo temporis momento, recluſis & effuſis theſauris, aurum, & exules (nam Scotta qui ſuſciperet, aduenerat) ad Stythas miſſi ſunt. Romani verò, multos ex profugis, qui dedi reluctabantur, trucidarunt, inter quos & Præfectum Scytharum regij generis, qui militare ſub Attilla renuerant, & Romanis ſe adiunxerant. His quoque pacis conditionibus exequendis, Attillas operam nauauit, & Acinthuncios interpellauit, vt captiuos, quos penes ſe habebant, ſiue Romanos, ſiue barbaros, redderent. Eſt autem Acinthus oppidum validum, non multum ab Illyrico diſtans, quod parti Thraciæ adiacet, cuius incolæ, grauibus damnis inimicos affecerũt. Non illi quidem ſe murorum ambitu tuebantur, ſed extra propugnacula, manus conſerebãt, contra infinitam Scytharũ multitudinẽ, & Duces magni apud eos nominis & exiſtimationis. Itaque Hunni dilabi, & ab oppido quàm longiſsimè recedere. Palantibus enim Scythis, & à ſuis longiùs

aberrantibus, si quãdo eos exisse, & prædas ex Romanis egisse, exploratores denuntiabant, inopinantibus aderant, & parta ab eis spolia sibi vindicabant. Et illi quidem ab hostibus, multitudine vincebantur, sed robore & virtute præstantiores erant. Itaque Acinthuntij, plurimos ex Scythis in hoc bello necauerunt, & multos Romanorum in libertatem asseruerunt, nec ideò minùs transfugas recipere destiterũt. Quamobrem Attillas, se exercitum non antè deportaturum, aut fœderis conditiones ratas habiturum professus est, quàm captiui Romani, quiad Acinthuntios peruenissent, redderentur, aut pro his mulcta conuenta solueretur, & liberarentur abducti in seruitutem barbari. Quæ contra ea differeret, non habebat Anatolius legatus, neque Theodullus, præsidiariorum Thraciæ militum Dux & Præfectus. Nec enim Acinthuntij illorum mandatis obsequebantur, quantũuis rationi consentanea ob oculos ponerent. Barbarus autem recenti victoria elatus, & ferus, promptè ad arma ferebatur. Romani contrà, propter recèns acceptam cladem, animis ceciderant,

Nihilominùs tamen Acinthuntijs per litteras significarunt, vt Romanos captiuos quoscumque nacti essent, restituerent, aut pro vnoquoque captiuo, duodecim aureos penderent, & Hunnos captiuos liberarent. Quibus litteris lectis, Romanos, qui ad se cõfugissent, liberos abire siuisse, Scythas verò, quotquot in eorum manus veniissent, trucidasse responderunt. Duos tantùm captiuos habere, propterea quod hostes dum in obsidione fuerunt, in insidiis collocati, nonnullos ex iuuenibus, qui antè munitiones greges pascebant, rapuerũt, quos nisi reciperent, captiuos iure belli sibi acquisitos, minimè restituturos Hęc renuntiarunt qui ab Acinthuntiis venerunt. Quibus auditis, Scytharum Regi, & Romanis Principibus placuit exquiri iuuenes, quos Acinthuntij raptos esse querebantur. Sed nemine reperto, Barbari ab Acinthuntiis capti sunt dimissi, priùs tamen fide à Scythis accepta, nullos Acinthuntios captiuitati mancipatos, penes se habere. Iurauerunt etiam Acinthuntij, Romanos, qui ad se effugissent, libertate donasse, quamuis adhuc multos in sua potestate haberent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [83] - 55

Nec enim ſibi perieraſſe videbãtur, modò ſuos à barbarorum ſeruitute ſaluos, & incolumes præſtarent.

Pace facta, Attillas rurſus legatos ad Romanos Orientales mittit, qui transfugas repeterent. At illi, legatos perquàm humaniter exceperunt, & plurimis donis ornatos, cùm nullos perfugas apud ſe eſſe aſſeueraſſent, dimiſerunt. Miſit & iterũ Attillas alios legatos, quibus quoque amplis muneribus ditatis, tertia ab eo, poſt illam, itidem quarta legatio aduenit. Ille enim Romanorum liberalitatem, qua vtebantur, veriti vt à fœderibus barbari diſcederent, ludibrio habens, nouas ſubinde cauſas fingebat, & vanas occaſiones legatorum mittendorum excogitabat, & ad ſuos neceſſarios, quos liberalitate complecti volebat, eas legationes deferebat. Romani verò in omnibus Attillæ dicto audientes erant, & quæ præcipiebat, domini iuſſa ducebant. Non ſolùm enim à bello cõtra eum ſuſcipiendo, eorum rationes abhorrebant, ſed & Parthos, qui bellum apparabãt, & Vandalos, qui maritimas oras vexabãt, & Iſauros, qui prædis, & rapinis graſſabãtur, & Saracenos, qui

regiones ad Orientem excursionibus vastabant, metuebant. Præterea gentes Æthiopum in armis erant, & defectionis consilia agitabant. Itaque Romani animis fracti, Attillam colebant, tantisper dum exercitus comparabant, & Duces sortiebantur; Edecon vir Scytha, qui maximas res in bello gesserat, venit iterum legatus cum Oreste. Hic genere Romanus, Pæoniam regionem, ad Saum sitam, incolebat, quæ ex fœdere inito cum Ætio Romanorum Occidentalium Duce, barbaro parebat. Itaque Edecon in palatium admissus, Imperatori litteras Attillæ reddidit, in quibus de transfugis non redditis querebatur, qui nisi redderentur, & Romani à colenda terra abstinerent quam bello captam suæ ditioni adiecerat, ad arma iturum minabatur. Ea verò, secundùm Istrum à Pæonibus, ad Nouas vsque Thraciæ in longitudinem extendebatur. Latitudo autem erat quindecim dierum itinere. Neque verò forum celebrari, vt olim, ad ripam Istri, sed in Naisso, quam vrbem à se captam, & dirutam, quinque dierum itinere expedito homini ab Istro distantem, Scytharum, & ditionis limitem constitue-

bat. Legatos quoque ad se venire iussit, controuersa disceptaturos, non ex quolibet hominum genere, & ordine, sed ex Consularibus illustriores, quos mittere libuerit, quorum excipiendorum gratia, in Sardicam descenderet. His litteris lectis, digresso ab Imperatore Edecone, cum Bigila, qui ea, quæ Attillas verbis Imperatori denuntiari voluit, interpretaturus venerat, cùm reliquas quoque domos obiret, in cõspectum Chrysaphij Imperatoris Hypaspidis venit: is plurimùm auctoritate, & gratia apud Imperatorem valebat. Admiratus erat barbarus, Regiarum domuum magnificentiam. Bigilas autem simulatque barbarus in colloquium venit cũ Chrysaphio, interpretans retulit, vt laudasset Imperatorias ædes, & Romanos beatos duceret, propter affluẽtes diuitiarum copias. Edeconi Chrysaphius dixit, Fore eum huiusmodi domuum, quæ aureis tectis præfulgebant, compotem, & opibus abundaturum, si relicta Scythia, ad Romanos se conferret. Sed alterius domini seruum, Edecon ait, nefas est eo inuito, tãtum facinus in se admittere. Quæsiuit ex eo Eunuchus, an facilis illi, ad

Attillam pateret aditus, & qua potestate præditus apud Scythas esset. Ille sibi necessitudinem intercedere cum Attila, respondit, & decretam sibi cum nonnullis aliis, Scythiæ primoribus, eius custodiam. Nam per vices, vnumquemque eorum præscriptis diebus, cum armis circa Attillam excubias agere. Tum Eunuchus, si qua fides, inquit, se maximorum bonorũ illi auctorem futurum. Cui rei tractandæ, otio opus esse. Hoc verò sibi fore, si post cœnam rediret, sine Oreste, & reliquis legationis comitibus. Facturum pollicitus barbarus, cibo sumpto, ad Eunuchum pergit. Tum per Bigilam interpretem, datis dextris, & iureiurando vtrimque præstito, ab Eunucho, de rebus, quæ Edeconi minimè damno, sed fructui & commodo essent, verba facturum, ab Edecone se, quæ sibi crederẽtur, non enuntiaturum, etiamsi exequi nollet. Tunc Eunuchus Edeconi dixit, Si in Scythiam rediens, Attillam sustulerit, & Romanorum partibus accesserit, vitam in magnis opibus beatè traductũrum. Eunucho Edecon assensus adiecit, Ad hanc rem peragendam, opus esse pecuniis, non quidem multis, sed quinqua-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [87] - 59

ginta auri libris, quas militibus, quibus præesset, qui sibi ad rẽ impigrè exequendam adiumento essent, diuideret. Cùm Eunuchus, nulla mora interposita, dare vellet, dixit barbarus, se priùs ad renuntiandam legationem dimitti oportere, & vnà secum Bigilam, Attillæ de transfugis responsum accepturum, cum quo de ordine componendæ rei ageret, qui quoque quando facto opus esset, viam auri deferendi iniret. Etenim Attillam se simul atque redierit, percunctaturum, vt reliquos omnes, quis munera sibi sit largitus, & quantæ pecuniæ sint illi à Romanis dono datæ. Neque id celare, per collegas, & comites licitum fore. Visus est Eunucho barbarus recta sentire, & eius est amplexus sententiam. Itaque à cœna dimisso ad Imperatorem, consilium initum detulit, qui Martialium, magistri officiorum munere fungentem, ad se venire iussum docuit, conuentionem cum barbaro factam: id enim illi credi, & committi iure magistratus, quem gerebat, necesse fuit. Nam omnium Imperatoris consiliorum magister est particeps, sub cuius cura sunt Tabellarij, interpretes, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [88] - 60

milites, qui Palatij cuſtodiæ deputati ſunt. Imperatore autem, & Martialio de tota re conſultantibus, placuit, non ſolùm Bigilam, ſed & Maximinum legatum mittere ad Attillam.

Bigila inſidiarum in Attillam manifeſtè conuicto, Attillas ablatis ab eo centum auri libris, quas à Chryſaphio acceperat, extemplò Oreſtem, & Eſlam Conſtantinopolim miſit, iuſſitque Oreſtem, crumena, in quam Bigilas aurum, quod Edeconi daretur, coniecerat, collo impoſita, in conſpectum Imperatoris venire, atque Eunuchum interrogare, Num hanc crumenam noſſet? Deinde Eſlam, hæc verba ore proferre, Theodoſium quidem, clari patris, & nobilis eſſe filium, Attillam quoque nobilis parentis eſſe ſtirpem, & patrem eius Mundivchum, acceptam à patre nobilitatem, integram conſeruaſſe. Sed Theodoſium, tradita à patre nobilitate excidiſſe, quòd tributum ſibi pendẽdo, ſuus ſeruus eſſet effectus. Non igitur iuſtam rem facit, qui præſtantiori, & ei, quem fortuna dominum demõſtrauit, tanquam ſeruus ſceleſtus, & improbus, clandeſtinas inſidias paret. Neque ſe priùs criminari i-

llum eo nomine deſtiturum, quàm Eunuchus ad ſupplicium ſit traditus. Atque hi quidem, cum his mandatis, Conſtantinopolim peruenerunt. Eodem quoque tempore accidit, Chryſaphium à Zenone ad pœnam depoſci. Maximinus enim renuntiauerat, Attillam dicere, Decere Imperatorem promiſſa adimplere, & Conſtantio vxorem, quam promiſerat, dare. Hanc enim, inuito Imperatore, nemini fas fuiſſe ducere: aut qui contra auſus fuiſſet, pœnas lueret, aut ſi eò Imperatoris res deductæ eſſent, vt eorum, qui ſibi ſubditi erant, minimè compos eſſet, ſe auxilium ferre paratum, quo eos ſuæ voluntati obſequentes redderet. Sed Theodoſius, iracũdiam ſuam palàm fecit, cùm bona puellæ in publicum redegit. Cùm primùm Attillę nuntiatũ eſt, Martianum, poſt Theodoſij mortem, ad Imperiũ peruenisſe, & quæ Honoriæ acciderant, ad eum, qui in Occidente rerum potiebatur, miſit, qui cõtenderent, Honoriam nihil ſe indignum admiſiſſe, quæ matrimonium ſecum cõtracturam ſpopondiſſet. Miſit & ad Romanos in Oriente, tributorum conſtitutorũ gratia. Sed re infecta legati, vtrim-

que ſunt reuerſi. Etenim qui Occidentis Imperio præerat, reſpondit, Honoriam ipſi nubere non poſſe, quòd iam alij nupſiſſet. Neque Imperium Honoriæ deberi. Virorum enim, non mulierum, Romanum Imperium eſſe. Qui in Oriente imperabat, ſe minimè ratam habere tributi illationem, quam Theodoſius conſenſiſſet. Quieſcēti munera largiturum, bellum minanti, viros, & arma obiecturum. Nec enim vires & copias ſibi deeſſe. Itaque Attillas in varias diſtrahebatur ſententias, & illi in dubio hærebat animus, quos primùm aggrederetur. Tandem meliùs rem ſe habituram viſum eſt, ad periculoſius bellum ſeſe conuertere, & in Occidentem exercitum educere. Illic enim ſibi rem fore, non ſolùm cum Italis, ſed etiam cum Gothis, & Francis; cum his, vt Honoriam, cum ingentibus diuitiis, in vxorem acciperet: cum illis, vt Genſerichi gratiam promereretur. At Francos bello laceſſendi, illi cauſa fuit Regum ipſorum obitus, & de regno inter liberos controuerſia. Seniori Attillas ſtudebat, iuniorem Ætius tuebatur, quem Romæ vidimus, legationem obeuntem, nondum lanugine

efflorescere incipiente, flaua coma, & capillis propter densitatem,& magnitudinem,super humeros effusis. Hunc etiã Ætius in filium adoptauerat, & plurimis donis ornatum,ad Imperatorem, vt amicitiam, & societatem cum eo faceret, miserat. Sed Attillas antequàm, in eam expeditionem ingrederetur, rursus legatos in Italiam misit, qui Honoriam poscerent. Etenim secum matrimonium pepigisse: cuius rei vt fidem faceret, annulum, ab ea ad se missum, per legatos, quibus tradiderat, exhiberi mandauit. Itaque Imperij parte sibi Valentinianum cedere, æquum censebat, quam pater Honoriæ reliquisset,sed hac illam frater,quæ eius erat auaritia, & cupiditas, priuarat. At Romani Hesperij in prima sententia perstiterunt, & Attillæ mandata reiecerunt.

Attillas, vastata Italia, ad sua se retulit, & Romanorum Imperatoribus in Oriente, bellum, & vastitatem denuntiauit, propterea quòd tributum sibi à Theodosio constitutum non soluebatur. Ardaburius Asparis filius, ad Damascum Saracenos debellauit. Eò Maximino Duce, & Prisco, huius historiæ scripto-

ſcriptore, aduenientibus, offenderunt Ardaburium, cum Saracenorum legatis de pace tractantem.

Blemmiyes, & Nubades, à Romanis victi, legatos ex vtraque gente ad Maximinum, pacis exorādæ gratia, miſerunt, quam ſe ſeruaturos ſpondebant, quoad vſque Maximinus in Thebanorum regione commoraretur. Illo verò, ad id tempus abnuente fœdus icere, ſubiecerunt ſe, quamdiu Maximino vita ſuppeteret, in officio futuros, nec moturos arma. Hac quoque conditione, quam legati offerebant, reiecta, centum annorum inducias indulſit. His fœderibus placuit, captiuos Romanos, qui & hoc, & ſuperiore prælio capti erant, ſine vllo redemptionis pretio liberos dimitti. Pecora tunc abacta reddi, & ſumptuum æſtimationem reſtitui. In eas conditiones, obſides ex nobilioribus dari. Liberam eſſe ſecundùm antiquam legem, è templo ad ſe Iſidis traiectionem, neque per eos, qui in Ægypto foſſis fluuij ſunt præpoſiti, impediri. Certo enim tempore barbari, ſtatuam deæ è templo, in quo eſt collocata, domum importantes traijciunt, & oraculis ab ea ſumptis, rur-

ſus in inſulam, ſaluam, & incolumen reducunt. Conuentiones cannis exaratas, clauis ferreis reuinctas, in fano affigi, Maximino viſum eſt, & ad eam rem miſſi ex eius neceſſariis nonnulli. Adfuerunt etiam ex Blemiis, & Nubadibus aliqui, cùm fœdera in inſula deponerentur. Sic igitur pactis in ſcriptis redactis, & obſidibus traditis, ex his qui dominatum exercuerant, aut ex filiis eorum, quod in hoc bello minimè adhuc contigerat, neque vnquam anteà, ad hoc vſque tempus, Nubadorum, aut Blemyorum filij, obſides apud Romanos, fuerant, accidit Maximinum, in morbum incidere, & mori. Poſtquàm verò de eius obitu, barbaris nuntiatum eſt, vi obſides eripuerunt, & regionem excurſionibus vaſtarunt. Gobazes legatos miſit ad Romanos, quibus Romani reſponderunt, ſe à bello ceſſaturos, ſi regnum, aut ipſe deponeret, aut à filio reciperet. Nec enim fas eſſe, ſecundùm antiquam regionis legem, duos ſimul dominari. Itaque oportere, aut ipſum Gobazem, aut eius filium, regnare in Colchide, atque ita bellum ſolueretur. Legatos Euphemius introduxit. Is magiſtri officiorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [94] - 66

dignitatem adeptus, prudentia, & eloquentia clarus, ſub Martiano Imperatore in Reipub. adminiſtratione floruit, multóſque præclaros viros, Imperatori conſiliis adhibuit. Hic quoque Priſcum ſcriptorem huius hiſtoriæ, in partem curarum Imperij vocauit. Gobazes igitur, ſibi delata optione, regni inſignia depoſuit, & elegit cedere filio regnum. Et ad Imperatorem miſit, quandoquidem vni ſolùm iam pareret Colchidis regio, non illi ampliùs vſque eò ſuccenſeret, vt etiam arma inferret. Imperator verò iuſſit Gobazem, in Romanorum regionem tranſgredi, vt eorum, quæ ſibi facienda ſtatuiſſet, rationem redderet. Ille autem, profectionem minimè abnuit. At Dionyſius, fide priùs accepta ab eo, qui pridem in Colchidem dirimendarum cum Gobaze controuerſiarum gratia miſſus erat, ſe, nihil quod perfici non poſſet, promiſiſſe, legatione functus eſt, & de rebus, quæ in contentione erant, conuenerunt, Maioriano Romanorum Occidentalium Imperatori Gothi, qui in Gallia erant ſocij, confœderatíque facti ſunt, & gentes ditionis Romanorum accolas partim

armis, partim verbis ad deditionem cõpulit. Hic etiam in Lybiam trecentis ferè nauibus ſibi coactis, cum magno exercitu penetrare tentauit. Sed Vandalorum Dux priùs legatos miſit, qui illum, ſi quæ eſſent inter eos controuerſa, amicè tranſigere, paratum eſſe dicerent. Quod vbi obtinere non potuit, Mauruſiorum terram, in quam ex Iberia Maioriani nauales copię appulſuræ erant omnem igni, ferróque vaſtauit, & quacumque ratione potuit, afflixit, & aquas infecit. Romanis Occidentalibus in ſuſpicionem venit Marcellinus, ne ſi copiis augeretur, in eos bellum transferret. Erant enim tunc temporis Romanorum res, variis modis afflictæ, & perturbatæ, hinc Vãdalis, illinc Nigidio imminente. Hic vir magnum exercitum habebat ex Gallis, qui in Hiſpaniam mouentes ſub Maioriano militauerant, & ob cædem Imperatoris erat illis infenſus. Sed à bello appetendis Italis auocauit, ortum illi cum Gothis in Gallia diſſidium. De contermina enim regione cum illis certans, fortiter bellum gerebat, in quo multa viri ſtrenui, & magnanimi opera edidit. Hæc in cauſa fuerunt, vt Romani

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [96] - 68

Heſperij, legatos ad Orientales mitterent, vtſe à Marcellino, & Vandalis liberarent. Et ad Marcellinum quidem Philarchus miſſus, ei perſuaſit ne in Romanos moueret arma. Hinc ad Vandalos deflectens, nihil quicquam profecit, & rediit. Genſerichus enim non aliàs bellum poſiturum minatus eſt, niſi ſibi Valentiniani, & Ætij bona traderentur. Etenim ab Orientalibus partem bonorum Valentiniani obtinuerat, Honoriæ nomine, quæ Honoricho eius filio nupſerat. Atque hanc belli renouandi occaſionem ſingulis annis vſurpabat. Itaque ſimulatq; ver appetiit, infeſto exercitu Siciliam, & Italias inuaſit, & vrbes quidem Italorum præſidiis firmatas non facilè oppugnauit, ſed oppida militibus, qui reſiſterent, deſtituta circumueniens euertit, & diripuit. Nec enim ad omnia, quæ Vandalorum inuaſioni patebant, tuenda ſufficere poterant, propterea quòd hoſtium multitudine opprimebantur. Denique copiis naualibus carebant, quas cùm à Romanis Orientalibus petiiſſent, non impetrarunt, quia fœdus cum Genſericho fecerant. Ea res, diuiſa ſcilicet Imperij adminiſtrandi ra-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [97] - 69

tio, magno detrimento Romanorum Occidentalium rebus fuit. Circa id tempus legatos ad Orientales Romanos miserunt Saraguri, Vrogi, & Hunoguri. Hæ gentes propriis sedibus eiectæ, commissa pugna cum Sabiris, quos expulerant Abari, & ipsi quoque extorres facti, à populis citeriorem oram maris Occani habitantibus, quemadmodum & Saraguri, ad nouarum sedium comparationem erumpentes, Hunnos Acathiros adorti erant, & coniunctis viribus, multis præliis initis, gentem deuicerant, & demum ad Romanos nanciscendæ eorum societatis cupidi, se contulerunt. Itaque Imperator legatos benignè excepit, & muneribus affectos remisit.

Dum gentes patria profugæ cum Romanis in Oriente diffident, legatio ab Italis aduenit, quæ doceret res Italas stare non posse, nisi sibi Vandalos reconciliarent. Venit & legatio à Persarum Rege, quæ multos è Perside ad Romanos Eoos confugere querebatur, & Magos, atque alios, qui iam inde à priscis temporibus Romanorum finium sunt incolæ, à patriis moribus, legibus, &

inſtitutis, & antiquo religionis cultu abduci. Qua de cauſa demigrant, maximè quia ignem, qui apud eos vocatur inextinguibilis, in perpetuum ardere ſecundùm legem non ſinunt.

Addebant æquum videri, Romano arcis Ierouach, ad Portas Caſpias ſitæ, curam habere, & pecunias ad eius tuitionem conferre, neque ſe ſolos ſumptibus, & arcis cuſtodia grauari. Si enim ceſſerint, non ſolùm ad Perſarum, ſed etiam ad Romanorum ditionis terras, & gentes, quæ proximè habitant, damna facilè peruentura. Oportere etiam ſe iuuari pecuniis ad bellum contra Hunnos Cidaritas gerendum, ex quo Romani eã eſſent vtilitatem reportaturi, quòd ea gens arcebitur, neque longiùs in eorum fines progredietur. Romani reſponderunt, ſe quamprimùm legatos miſſuros, hæc omnia cum Parthorum rege diſceptaturos. Neque enim vllos apud ſe eſſe fugitiuos, neque Magos in ſuę religionis cultu turbari, aut impediri. Pecunias autem ad cuſtodiam arcis Ierouach, & bellum contra Hunnos Cidaritas, quandoquidem eorum ſunt iſtæ partes, & id ſibi deſumpſerunt, minimè iuſtè petere.

Legationem ad Vandalos ſuſcepit Tatianus, in patriciatus dignitatem cooptatus. Ad Perſas verò Conſtantius tertiùm Conſul, & ad Conſulatus patriciatus quoque honorem ſortitus. Poſt incendium ciuitatis, quod accidit ſub Leone, Gobazes venit Conſtantinopolim cum Dionyſio, ſtola Perſica indutus, & Medorum in morem ſatellitibus ſtipatus. Hunc Imperator excepit, & primùm quidem rei nouitate commotus, auerſatus eſt. Deinde ad æquitatem delapſus, & eum comiter amplexus dimiſit. Chriſtianorum enim ſymbola oſtentans, blãda oratione eum demulſit, & ſermonum illecebris cepit. Scirri & Gothi acie decertãtes, & à pugna vtrique recedentes, ad accerſenda auxilia animũ adiecerunt. Qua de re, Romanos Eos adierunt. Aſpar quidem cenſuit, neutris opitulãdum eſſe. Sed Imperator Leo ſtatuit, Scirris opem ferre. Itaque litteras ad Prẹfectum Illirij miſit, iuſſitque quoad neceſſe eſſet, auxiliares copias Scirris aduerſus Gothos præbere.

Eodem tempore venit & ad Leonem Imperatorem legatio à filiis Attillæ, vt omnibus omnino præteritorũ diſſidio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [100] - 72

rum cauſis reſecatis, pacem inirent. Itaque Romani, vt olim erat in more poſitum, ad Iſtrum vſque procedentes, mercatum celebrarent, ex quo inuicem ea, quæ ſibi opus eſſent, deſumerent. Et ea quidem legatio, quæ circa hæc verſabatur, re infecta redijt. Nec enim Imperator rationibus ſuis conducere arbitratus eſt, commoditates, quæ propriæ Romanorum eſſent, Hunnis, qui eos tot damnis, & cladibus affecerant, communicare. At verò Attillæ filij renuntiata legatione, inter ſe diſſenſerunt. Etenim Dengiſich legatis, nulla re impetrata, reuerſis bellum Romanis indici volebat. Cui quidem apparatui Irnach repugnabat. Nec enim bellum longiùs à patria geri, expedire exiſtimabat.

Quod Saraguri Acathiris, aliiſque gentibus aggregati, in Perſas exercitum duxerunt. Primùm quidem ad portas Caſpias appulerunt, vbi cùm præſidium Perſicum offendiſſent, ad aliam viam deflexerunt. Quà ad Iberos accedentes, regionem vaſtarunt, & excurſiones in oppida Armeniorum fecerunt. At Perſæ, qui iamdudum bello cum Cidaritis occupabantur, hac occaſione

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [101] - 73

arrepta, legatos ad Romanos miſerunt, qui ab illis pecunias, aut milites ad cuſtodiam arcis Ierouach peterent. Qua de re ſæpius iam cum illis per legatos egiſſent, docuiſſentque, ſe pugnam detrectantibus, & cedentibus liberum futurum ad inuaſionem barbaris gentibus acceſſum, atque ita minimè inuaſtata Romanorum regio permaneret. His verò reſpondentibus, rationi conſentaneum eſſe, vnumquemque ſua tueri & defendere, & de ſuis arcibus ſollicitum eſſe, rurſus re non obtenta, legati ad ſuos reuertere. Dengiſich bellum Romanis intulit, & Iſtro potiri inſtitit. Quod vbi Orniſiglus didicit (is in ea parte Thraciæ, quæ ad Iſtrum eſt, cuſtodiæ ripæ fluminis præfectus erat) per ſuos ex eo quæſiuit, an ea mente eſſet vt acie decertare vellet. Sed Dengiſich Anagaſtum contemnens, ab eo miſſos, re infecta, dimiſit, & per legatos, Imperatori denuntiauit ſe bellum illaturum, niſi ſibi, ſuiſque terram, quam incolerent, & pecunias alendo exercitui, qui ipſum ſequebatur, ſubminiſtraret. Legatis in regiam inrroductis, & mandata exponentibus Imperator reſpondit,

se omnia paratum facere, quo eos suo imperio obsequentes redderet. Sibi enim pergratum, & iucundum esse, si quando inimici in fœdus, societatémque transirent.

Anagastus, Basiliscus, & Ostrouius, & alij quidam Duces Romani, in locum abruptum, & concauum, Gothos inclusos obsederunt. Ibi Scythæ victuum inopia laborantes, Romanos, missis legatis, certiores fecerunt, se omnibus, quæ statuerint, parituros, modò sibi terram ad inhabitandum concedant. Romani responderunt, se ad Imperatorem eorum postulata delaturos. At Scythæ de fame, quæ eos premebat, transigere velle dixerunt, neque longiores inducias ferre posse. Romanis ordinibus præpositi, habito consilio tantisper dum Imperator illis prospiceret, alimenta præbituros polliciti sunt, si Scythæ Romanorum multitudini proximè ad eorum morem ordinati accederent. Facilem enim fore singulis ordinum ductoribus, eorum, qui sibi sorte obuenerint, tuitionem, & administrationem, potiùs quàm Ducibus, qui vniuersos exercitus regunt, quippe qui in illis cura sua,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [103] - 75

& diligentia complectendis, inter se sint æmulatione certaturi. Itaque Scythæ his, quæ legati renuntiarunt, paruerunt, séque in tot, & eosdem ordines distribuerunt, in quos Romani erant distributi. Quo facto Caleal, vir genere Hunnus, qui secundum ab Aspare Imperij gradum in eos, qui sub eo ordines ducebant, tenebat, barbarorum, quæ suis ordinibus accesserat, cohortem obiens, in qua erant plures numero Gothi, quàm reliqui, accitis primoribus huiusmodi orationem habere cœpit. Terram quidam Imperatorem ad inhabitandum daturum, quæ non illis fructui, & commodo futura esset, sed cuius vtilitas ad solos Hunnos redundaret. Nec enim Hunnos ignorare, Gothos terræ cultum negligere. Ex quo fore, vt luporum more Hunni, arua, quæ Gothis sortito obtigissent, ad se pertrahentes raperent, & eos seruorum loco habentes, cibis destitutos vexarent & opprimerent. Quamobrem semper inualuisse, vt nullum esset Gothico generi cum Hunnis commercium, & maiores iureiurando eos obstrinxerunt, eorum societatem fugere. Sed rerum necessariarum penu-

ria victi, sacramenta patria pro nihilò habebunt, & transgredientur. Se quidem genere Hunnum, quo maximè gloriatur, sed æquitate motum hæc illis dicere, & monere eorum, quæ facienda sunt. His dictis Gothi commoti, & hæc Caleal pro beneuolentia, qua ipsos prosequebatur, suggessisse rati, Hunnos sibi immixtos, tanquam seditiosos trucidarunt. Deinde quasi ex compacto cæteri cõuenientes, ingens pugna inter vtramque gentem est commissa.

Quos cùm in armis reliqui castrorum Duces viderunt, acies suorum instruxerunt, & obuium quemque barbarorum occiderunt. Scythæ, cognito dolo, & fraude perspecta, sese collegerunt, & manus cum Romanis conseruerunt. Sed illi, qui sub Aspare stipendia faciebant, omnem barbarorum cohortem, quæ illis ordinibus obuenerat, comprehensam, ad internecionem vsque cæciderunt. Aduersus reliquos Ducibus non incruenta pugna fuit, barbaris strenuè, & fortiter pugnam capessentibus. Ex qua pugna qui superstites ex Scythis fuerunt, eos Romanæ legiones deleuerunt: ad hunc modum soluta est obsidio.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [105] - 77

Maxima intercedente Romanis, & Lazis cum Suanorum gente controuersia, cùm Suani promptè ad pugnam ineundam ad primum signum concurrerent, Persas quoque cupido belligerandi incessit propter oppida, quæ Lazi Suanis eripuerant. Itaque Lazus ad Romanum Imperatorem legationem misit, sibi auxilia mitti postulans ex militibus, qui Armeniæ oram Romanis subiectam tuebantur, vt quia proximi erant, præstò essent, ne dum longinqua auxilia expectant, periculum incurrant, aut frustra sumptibus atterantur, si fortè accidat dimicationis tempus produci, sicut iam antea euenerat. Missa enim cum Heraclio valida auxiliariorum manu, Persis, & Iberis, quibuscum illi bellum, alio bello aduersus alias gentes occupatis, cum grauis illi, & molesta esset commeatuum præstatio, auxilia remisit. Sed rursus in eum Parthis redeuntibus, Romanos reuocauit. Legati verò retuletunt, Romanos missuros ad eos auxilia, & Ducem. Quo tempore aduenit etiam legatio à Persis, nuntians Hũnos Cidaritas ab ipsis deuictos, & Balaam, Hunnorum vrbem expugnatam.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [106] - 78

Nuntiauerunt igitur legati victoriam, quam Persæ obtinuerant, & barbarorum in morem magnificis verbis extulerunt, maximas, quæ illis adessent, copias videri affectantes. Sed legatos statim à legatione dicta Imperator dimisit. Nam illi res Siculæ longè maiori curæ erant.

FINIS.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [107] - 79



EX PRISCI RHETORIS GOTHICA HISTORIA Excerpta.

C. Cantoclaro Interprete.

CVM Roua Hunnorum Rex ſtatuiſſet cum Amaldſuris, Ithamaris, Tancaſſijs, Boiſcis, cæteriſque gentibus, quæ Iſtrum accolunt, quod ad armorum ſocietatem cum Romanis iungendam confugiſſent, bello decertare, Eſlam componendis Romanorum & Hunnorum controuerſijs adhiberi ſolitum miſit, qui Romanis denuntiaret, ſe à fœdere, quod ſibi cum illis eſſet, receſſurum, niſi omnes Scythas, qui ad eos ſe contuliſſent redderent. Romanis verò conſilium de mittendis ad Hunnos legatis capientibus, Plinthas & Dionyſius, hic ex Thracia, ille ex Scythia oriũdus, ambo exercituum duces, & qui Conſula-

Consulatus dignitatem apud Romanos gesserant, hanc legationem obire voluerunt. Vt verò visum est, non antè legatos proficisci, quàm Eslas ad Rouam rediisset, Plinthas vnà cum Esla misit Singulachum vnum ex suis necessarijs, qui Rouæ in animum induceret, cum nullo alio Romanorum, quam cum ipso colloquium inire. Cùm autem Roua mortuo, Hunnorum regnum ad Attillam peruenisset, Senatus decreuit Plintham legationē ad Attillam exequi. Quo S.C. imperatoris suffragio comprobato, Plintham cupido incessit; Epigenem qui sapientiæ laude celebris erat, & Quæsturæ dignitatē obtinebat socium legationis sibi adciscere. Qua de re lato quoque suffragio ambo in eam legationem, profecti sunt, & Margum peruenerunt. Est autem Margus vrbs in Illirico Mysorum ad Istrum sita, ex aduerso Constantiæ arcis, ad alteram fluminis ripam collocatæ. In hanc vrbem, à Rege ex Scythis delecti, extrà ciuitatem equis insidentes, (nec enim barbaris de plano verba facere placuit,) conuenerunt. Neque verò non suæ dignitatis rationem legati Romani habuerunt, & ab hac vsurpatione,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [109] - 81

eodem quoque apparatu, in Scytharum conſpectum venerunt, ne ſibi peditibus, cum equitibus diſſerendum foret. Itaque placuit, profugos omnes, etiam qui multò antè profugerant, vnà cum captiuis Romanis, qui non ſoluto redemptionis pretio, ad ſua redierant, dedi: aut pro vno quoque captiuo Romano, his qui eum bello ceperant, octo aureos dari, Romanos belli ſocietatem cum barbara gente, quæ bellum cum Hunnis gerat non facere. Conuentus ad mercatus paribus legibus celebrari, & in tuto Romanos & Hunnos eſſe. Vt fœdera rata maneant & obſeruentur, vno quoque anno ſeptingentas auri libras, tributi nomine Scytharum Regibus à Romanis pendi, cum anteà tributum annuum nõ fuiſſet niſi trecentarum quinquaginta librarum.

His conditionibus pacem Romani & Hunni pepigerunt, qua iureiurando patrio ritu vtrimque præſtito firmata, vtrique ad ſua redierunt. Itaque qui ex barbaris ad Romanos tranſierant redditi ſunt, de quorum numero erant filij Mama & Attacam ex regio genere quos Scythæ ſuſcipientes in Carſo Thraciæ Ca-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [110] - 82

ſtello crucis ſupplicio affecerũt, & hanc ab his fugæ pœnam exegerũt. Pace cum Romanis facta, Attillas & Bleda ad ſubigendas gentes Scythicas profecti ſunt, & cõtra Soroſgos bellum communibus opibus & viribus mouerunt.

Theodoſius miſit Senatorem virum Conſularem, ad Attillam legationem obiturum. Et ille quidem quamuis Legati nomen adeptus eſſet, minimè tamen eſt auſus terreſtri itinere Hunnos adire: ſed iter mari inſtituit, & in Odyſſenorum ciuitatem nauigauit, in qua Theodotulus dux commorabatur.

Chryſaphius Eunuchus ſuaſit Edeconi Attillã de medio tollere. Super ea re, habito ab Imperatore Theodoſio cum Martialio magiſtro cõſilio, decreuerunt non ſolum Bigilam, ſed & Maximinum Legatum ad Attillam ire, & Bigilam quidem ſpecie Interpretis, quo munere fungebatur, quæ Edeconi viderentur, executurum. Maximinum verò qui minimè eorum quæ in conſilio Imperatoris agitata erat conſcius, literas ab eo Attillæ redderet. Scripſerat enim Imperator, Legatorum cauſa, quemadmodũ Bigilas Interptetis munus obiturus, & Maximi-

nus Legatus mitteretur, qui quidem Bigilam dignitate ſuperabat,& genere illuſtris, & ad multa ſibi aptus & vtilis erat. Adhæc minimè decere Attillam fœdera tranſgredientem Romanorũ regionem inuadere. Et anteà quidẽ ad eum plures, nunc verò decem & ſeptem transfugas mittere. Nec enim plures apud ſe eſſe. Et hæc quidem litteris continebantur. Ore autem Maximinum ex ſe iuſſerat Attillę dicere, Ne poſtularet maioris dignitatis viros ad ſe Legatos tranſire. Nec enim à maioribus ſuis aliter vſurpatum, quàm obuium quemque ex ſuis militibus, aut alium quemlibet nuntium, qui mandata exponeret ad eos, qui anteà in Scythia regnabant legare. Cæterùm ad ea quæ inter ipſos in dubietate verſabãtur diiudicanda ſibi videri, Oneſegium mitti debere. Qui enim fieri poſſet, vt in Serdicam, quæ diruta eſſet, Attillas cum viro Conſulari conueniret? Hanc ſibi legationem, delatam vbi Maximinus, precibus victus ſuſcepit, mihi perſuaſit vt illi comes eſſem. Atque ita cum barbaris iter facere cœpimus, & in Serdicam peruenimus trium & decem dierũ itinere expedito homini, à Conſtanti-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [112] - 84

nopoli distantem. Ad eam postquàm appulimus, ad cibum nobiscum sumendum Edecona, & cæteros barbaros inuitandos duximus. Bobus igitur & ouibus, quas locorũ incolæ nobis suppeditauerant, iugulatis, instructo conuiuio epulati sumus. Inter epulas barbari Attillam, nos Imperatorem admirari & extollere. Ad quæ Bigilas dixit minimè iustũ esse, Deum cum homine comparare, hominem Atillam, Deum Theodosium vocans. Id ægrè tulerunt Hunni, & sensim ira accensi exasperabantur. Nos vero alio sermonem detorquere, & eorum irã blandis verbis lenire. A cæna, vt surreximus, Maximinus Edeconem & Orestem donis demereri studens, sericis vestibus, & gemmis Indicis donauit. Orestes deinde præstolatus Edeconis discessum verba faciens cum Maximino, Sibi quidem, ait illum, probum & prudentem videri, qui non itidem, vt alij, quod reges offenderet, commisisset. Etenim nonnulli spreto Oreste, Edeconem, quẽ ad cœnam inuitauerant, donis coluerãt. Nos autem harum omnium rerũ ignari, quò pertinerent Orestis verba non satis percipientes, cum ex eo sciscitaremur,

quomodo, & qua in re despectui esset habitus, & Edecon honore affectus, nihil respondit, & discessit. Postridiè cum iter faceremus, in Bigilam incidimus, cui quæ Orestes dixerat, retulimus. Ille vero, ait, Orestem non debere iniquo animo ferre, si eadem quæ Edecō minimè esset consecutus. Orestem enim assectam & scribam Attillæ, Edeconem verò bello clarum & genere Hunnum longè illum dignitate antecellere. Quæ cùm loqueretur, patrio sermone Edeconē affatus, non multò post nobis confirmauit, seu vera proferret, seu fingeret, se Edeconi, ea quæ prius illi dixeramus, exposuisse. Deinde ob ea quæ retuleramus in iram versus, vix ipsum ad vllam animi æquitatem reuocare potuimus. Venimus Naissum, quæ ab hostibus fuerat euersa & solo æquata: itaque eam desertam hominibus offendimus, præter quàm quod in ruinis sacrarum ædium erant quidam ægroti. Paulò longiùs à flumine ad vacua loca diuertentes. Omnia enim circa ripam erant plena ossibus eorum qui bello ceciderant, postridiè ad Agintheum ordinum in Illirico ductorem, qui nō longè à Naisso habitabat, accessimus. Impe-

ratoris enim mandata ferebant, vt reciperemus ab eo quinque transfugas, qui ſeptemdecim numerum, de quibus ad Attillam ſcripſerat, explerẽt. Hominem igitur conuenimus, & quinque profugos Hunnos tradere præcepimus quos verbis cõſolatus, nobiſcum dimiſit. Nocte tranſacta, à montibus Naiſſi Iſtrum verſus iter pergentes, in vicum quẽdam opacum, per obliquos flexus & gyros & circuitus multos deferimur. Hîc cùm in ea opinione eſſemus, vt in occaſum iter tendere exiſtimaremus, ſimulac illuxit Sol exoriens ſeſe oculis noſtris obiecit. Itaque loci ſitum ignorantes, exclamare tanquam, Sol qui in oppoſita parte conſpiciebatur contrarium ſolito curſum conficeret, & abhorrentia à conſtituto rerũ ordine deſignaret: Sed propter loci inæqualitatem via ea parte ad Orientem ſpectat. Ex illo difficili, & arduo loco ad plana & vliginoſa deuenimus. Hic nos barbari portitores, in Scaphis vnico ligno conſtãtibus, quas arboribus ſectis & cauatis adornant, exceperunt, & flumen trãſmiſerunt. Et lembi quidem minimè ad nos traducendos, ſed ad multitudinem barbarorum traijciendam, erãt

præparati, quæ nobis in via occurreret, quasi vellet Attillas, tanquam ad venationem, ad inuadendos Romanorum fines progredi. Huiusmodi erat Attillæ ad bellum contra Romanos apparatus, cuius gerendi occasionem sumebat, quod transfugæ non redderentur. Transmisso Istro, quindecim ferè stadiorum itinere cum barbaris emẽso, in campo quodam subsistere coacti sumus, tantisper dum Edecon Attillam nostri aduẽtus certiorem faceret, mænentibus interea nobiscum ex barbaris, qui nos exteros erant deducturi. Circa vesperam nobis cœnãtibus, auditus est strepitus equorum ad nos venientium. Nec mora duo viri Scythæ aduenerunt, qui nos ad Attillam venire præceperunt. Nobis verò priùs eos ad cœnam accedere rogãtibus de equis descendentes, vnà conuiuium inierunt, & posttidie viam præeuntes demonstrarunt. Qua die hora ferè octaua ad Attillæ tentoria peruenimus. Nam erant & aliorum plurima. Et cùm in tumulo & colle quodam, tentoria figere vellemus, obuij barbari prohibuerunt, quoniam Attillæ tentorium erat in proxima valle positum. Quamobrem, ad

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [116] - 88

barbarorum arbitrium, locum tentorij collocandi cæpimus. Huc Edecon, Oreſtes, Scota & reliqui ex Scythis primores, mox aduenerunt, & ex nobis quæſierunt, Quarum rerum conſequendarum gratia, hanc legationem ſuſceperamus? Nos verò inuicem intueri, & tam ineptam percunctationem admirari. Illi nihilominus perſeuerare, & quò à nobis reſponſum elicerent, in turbas coire. At ſoli Attillæ, non aliis Imperatorem mãdata exponere iuſſiſſe reſpondimus. Quo dicto Scota offenſus; Hoc ſibi à ſuo duce præceptum eſſe: veſtra enim nobis in rebus gerendis aſtutia & verſutia non eſt incognita. Nos vero obteſtari, nuſquam hanc legem legatis impoſitam, vt mandata edant & palàm faciant, antequàm eos ad quos miſſi ſunt, adierint, & in cõſpectum eorum venerint. Neque hoc Scythas neſcire, qui ſæpenumerò legatos ad Imperatorem miſerint. Oportere autem idem quoque iuris in aliis ratum & firmum eſſe, alioquin legatorum iura minimè colere. Hinc ad Attillam perrexerunt, vnde non multò pòſt ſine Edecone reuerſi, omnia quæ cum illis agere in mandatis habebamus, palam euulga-

runt, confeſtímque, niſi quid aliud nobis cum illis rei eſſet, diſcedere iuſſerunt. Quęvbi audiuimus, animis dubij, ſuſpenſíque hæſimus. Nec enim ſatis intelligere poteramus, qua ratione Imperatoris conſilia, ad quorum cognitionem ne dij quidem peruenire poſſent, patefacta & detecta forent. Quamobrem potius eſſe duximus, nihil quicquam de mandatis noſtris efferre, priuſquam nobis Attillam adeundi poteſtas fieret: itaque reſpondimus. Siue ea quæ Schythæ modò apertè propalámque protulerunt, ſiue alia legatione tractare venimus, ea res ſolius veſtri ducis iuris arbitriíque eſt, neque de his cum aliis vllo pacto diſſerere cõſtituimus. Illi verò nos quamprimum abire præceperunt. Dum in apparatu profectionis eſſemus, Bigilas nos reſponſionis Scythis factæ nomine increpauit. Longè enim potius fuiſſe in mendacio deprehendi, quam re infecta domum reuerti. Si enim, inquit, cum Attilla collocutus fuiſſem, facilè illi à contentione cum Romanis diſcedere perſuaſiſſem, quippe qui ei anteà ſtuduiſſem, & plurimum eius rebus, in legatione ad Anatolium vtilis fuiſſem. Atque Edeconem ea-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [118] - 90

dem quoque cum ipso sentire. Ea siue commentus, siue ex veritate diceret, eò pertinebant, vt specie legationis, occasionem nanciscerentur rationem ineundi, in Attillam compositas insidias exequi. Tum etiam quo modo aurum quo Edecon, sibi ad eam rem opus esse Eunucho dixerat adferretur, quod certis hominibus diuideretur. Sed Bigilam latebat, se proditum: Edecon enim, siue simulatè cum Eunucho pactus, siue vt ab Oreste sibi caueret, ne Attillæ promeret, ea quæ in Serdica inter cœnandum dicta erant, aut illum accusaret, quod sine se, secretos sermones cum Imperatore & Eunucho habuisset, indicauerat Attillæ comparatam in ipsum coniurationem, & quantitatem auri quam in eam rem mitti conuenerat, simul & ea, quæ per nos in ista legatione tractanda erant enunciauerat. Iumentis adornatis & necessitate ad iter tempore noctis carpendum adacti; occurrêre ex barbaris, qui dicerent Attillam iubere nos propter tempus noctis intempestiuum remanere. In eundem igitur locum vnde proficiscebamur præsto fuêre, qui bouem agebant & pisces fluuiatiles, nobis ab

Attilla missos adferebant. Cœnati nos dormitum contulimus. Luce orta in spem adducebamur Attillam se ad lenitatem daturum, & aliquod mite respõsum ad nos ab ipso emanaturum. Ille vero denuò eosdem misit, iussítque abire, si nihil aliud negocij, nisi quod iam omnibus cognitum erat, nobis cum illo intercederet. Nullo dato responso ad iter nos accinximus, etsi Bigilas omni ope contenderet, vt responderemus, nos aliud habere, quod Attillam scire eius magnopere interesset. Ego verò cùm Maximinum mœrore confici viderem, assumpto Rusticio, qui barbarorum linguæ peritus erat, & nobiscum in Scythiam venerat, non legationis, sed priuatæ rei causa, ad Constantium ex Italia oriundum, quem ad Attillam Ætius Occidentalium Romanorum dux, vt illi ab Epistolis esset, miserat, Scotam adij (nec enim aderat Onegesius) & cum illo per Rusticium interpretem collocutus, eum pretiosa & plurima dona à Maximino laturum dixi, si illi aditum ad Attillam patefaceret & muniret. Legatum enim venire de rebus, quæ non solum Romanis, sed etiam Hunnis maximam essent vtili-

tatem allaturæ. Quin & ipsi Onesegio legationem hanc magno emolumento futuram. Imperatorem enim poscere illum ad se legatum ab Attilla mitti, qui diiudicaret controuersa inter vtramque gentem, vnde non nisi ingentibus donis cumulatus, esset redditurus. Oportere igitur, cum minimè Onesegius adsit, illum maxime in tam præclara actione cũ fratre certare. Et ipsi quoque Attillam plurimum fidere dixi, me accepisse. Sed nihil firmæ spei reponendum, in eo quod auditu percipitur, restare vt reipsa notum & perspectum faceret quantum illi Attilla tribueret: Atque ille hunc sermonem suscipiens. Ne amplius, inquit, dubij sitis. Æquè ac frater apud Attillam valeo authoritate & gratia, seu verbis, seu facto opus est. Et ascenso equo, ad Attillæ tentorium contendit. Ego vero ad Maximinum rediens, qui vnà cum Bigila angebatur animo, & incertus erat quid constituendum esset, narraui sermones quos habueram cum Scota, & quæ ab ipso audieram. Atque adeò illum excitaui, ad preparanda munera, quibus Scotam remuneraretur, & præmeditandum quibus verbis Attillam affaretur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [121] - 93

Surrexeruntigitur (offenderam enim illos in ſolo herbido jacentes) & operam à me egregiè nauatam laudarunt, & eos qui ſe iam cum iumentis itineri accinxerant, reuocarunt. Tum etiam qua oratione Attillam agrederentur, & quo modo dona quæ ad ipſum Maximinus ab Imperatore adferebat, traderent inter ſe, agitarunt. Nobis in harum rerum cura cogitationéque verſantibus, ecce nos Attilla per Scotam accerſiuit; Itaque ad eius tentorium iter direximus, quod barbarorum multitudine, qui in orbem excubias agebant, erat circumdatum. Vt acceſſum nacti ſumus & introducti, inuenimus Attillam ſedentem in cathedra lignea. Stetimus paulò remotius ab eius throno, mox proceſſit Maximinus & ſalutauit barbarum. Et Imperatoris litteras tradens dixit, Saluum & incolumem illum ſuóſque precari Imperatores. Et barbarus, Sit & Romanis quemadmodum & mihi cupiunt, inquit. Statímque ad Bigilam conuertit orationem, Feram impudentem vocans, quærebat qua re impulſus ad ipſum veniſſet, cùm ſibi eorum, quæ & ipſe & Anatolius de pace ſenſiſſent conſcius eſſet. Neque prius ad

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [122] - 94

se legatos, accedere debuisse, quam omnes profugi, qui apud Romanos extarent, redditi essent. Bigila verò respondente, nullum amplius apud Romanos reperiri transfugam Scythici generis, omnes enim redditos esse, magis exasperatus Attillas, in eum multa probra & conuitia ingessit. Et cum clamore & vociferatione magna dixit se illum in crucem acturum, & prædam vulturibus præbiturum fuisse, nisi iræ suæ acerbitas, legationis reuerentia leniretur & inflecteretur, & hanc ei pœnam impudentis eius orationis, & temeritatis impositurum fuisse. Etenim restare adhuc apud Romanos plures transfugas, quorum nomina, vt erant in charta descripta, iussit scribas recitare. Hi vbi percurrerunt qui desiderabantur, Attillas Bigilam, vnà cum Esla sine mora proficisci iussit; Romanis denuntiatum, vt omnes transfugas Scythicæ nationis, quotquot ineorum potestate essent, redderent, à tempore Carpilionis, filij Ætij, Romanorum Occidentalium Ducis, qui obses apud eum fuerat. Nec enim vt ferat, suos seruos secum manus conserere, quicquam opis, aut præsidij adferre poterunt

his, qui ſuæ ditionis cuſtodiam illis commiſerint. Quæ enim vrbs, quæ arx, quà latè patet Romanorum imperium, ſalua & incolumis euadere poterit, quã euertere, aut diruere apud ſe conſtitutum habuerit? Poſtquàm expoſuerint, à ſe de transfugis decreta, redire quàmprimum renuntiatum, vtrum transfugas reddere, an bellum eo nomine malint ſuſcipere. Non multò antè iuſſerat, vt Maximinus paulum expectaret, dum ad ea, quæ Imperator ſcripſerat, per ſe reſponſum daret, ſed munera petiit. Quæ poſtquàm dedimus, in tentorium noſtrum nos recepimus, & de ſingulis quæ dicta fuerant, patrio ſermone inter nos diſſeruimus. Cùm autem Bigilas admiraretur, qui fieret vt Attillas, qui ſibi iampridem, cùm legatus ad illum veniret, comis & perhumanus viſus eſſet: tunc ſe acerbis contumeliis affeciſſet, dixi vereri me, vt aliquis ex barbaris, qui Serdicæ nobiſcum epulati erant, Attillam abalienaſſent, & Bigilam Romanorum Imperatorem Deum, Attillam verò hominem appellaſſe, retuliſſent. Quam orationem Maximinus, vt veriſimilem eſt amplexus. Nec enim coniurationis in Attillam initæ

initæ particeps fuerat. Sed Bigilas ambiguus animi erat, neque cauſam, vt mihi videtur, ſatis ſuſpicari poterat, quare Attillas eum tam acerbis conuitiis inſectatus eſſet. Nec enim in animum ſuum inducere poterat, vt nobis poſtea retulit, enuntiata fuiſſe, quæ in conuiuio apud Serdicam dicta fuerant, aut coniurationem in Attillam detectam. Cùm enim nemo ex omni multitudine, quæ Attillam circumſtabat, excepto Edecone, auderet præ metu, qui omnium mentes peruaſerat, cum Attilla ſermonem inſtituere, credebat Edeconem eò ſtudioſiùs daturum operam, omnia ſilentio tranſigere, tum propter iuſiurandum, tum propter negotij grauitatem: ne quia clandeſtinis in Attillam conſiliis interfuerat, reus iudicatus, pœna mortis afficeretur. Hæc cùm ambigua mente volueremus, Edecon ſuperuenit, & abducto à noſtro cœtu, Bigila, (fingebat enim velle verè & ſeriò, de præmeditatis inter eos inſidiis agere) vbi aurum adferri præcepit, quod his daretur, qui exequendo facinori operam nauaturi erant, diſceſſit. Ego verò cùm Bigilam curioſiùs inquirerem, quos ſer-

mones ſecum Edecon habuiſſet, deci-
pere perſtitit, deceptus & ipſe, & ve-
ram ſecreti cum Edecone colloquij cau-
ſam occultans, commentus eſt ſibi Ede-
conem dixiſſe, Attillam illi propter
transfugas ſuccenſuiſſe. Oportuerat
enim, aut omnes reſtituere, aut lega-
tos ex eorum numero ad illum venire,
qui potentia & opibus excellebant.
Hæc dum loquebamur, aduenere ab
Attilla, qui Bigilam, & nos prohibe-
rent, captiuum Romanum, aut bar-
barum mancipium, aut equos, aut quic-
quam aliud emere, præter quàm quæ
ad victum neceſſaria erant, donec in-
ter Romanos & Hunnos, de rebus con-
trouerſis conueniſſet. Hæc aſtu, & præ-
meditato conſilio barbarus faciebat,
quò faciliùs Bigilam in ipſo facto de-
prehenderet, cùm nullam ſatis ido-
neam cauſam comminiſci poſſet, in
quam aurum adferret. Nos quoque iuſ-
ſit Oneſegium opperiri, vt reſponſum
ad noſtram legationem daret, ſimul &
munera, quæ ad eum Imperator miſe-
rat, & tradere volebamus, acciperet.
Etenim tum fortè Oneſegius, vnà cum
ſeniore ex Attillæ liberis, ad Acatziros

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [126] - 98

missus fuerat. Ea gens est Scythica, quæ in potestatem Attillæ hac de causa venit. In eam gentem plures, per tribus & generationes, imperium exercebant, quos Imperator Theodosius, firmata inter eos concordia, ab Attillæ societate, ad colendam cum Romanis pacem, & societatem, muneribus traduxerat. Qui ea munera attulerat, pro cuiusque gentis Regis merito, & gradu, minime distribuerat. Caridachus enim secundo loco acceperat, qui Regum antiquior, primus accipere debuerat. Ille tanquam contemptus, & sibi debitis præmiis frustratus, Attillam ad Correges, in iudicium vocauerat. Is nihil cunctatus, magno exercitu emisso, Regum alios sustulit, alios ad deditionem compulit. Deinde Caridachum ad se vocat, tanquam illi victoriam, & quæ ex victoria consecutus fuerat, communicaturus. Sed dolum, & insidias suspicatus, difficile & graue esse homini respondit, in Dei conspectum venire. Si enim immotis oculis, Solis orbem intueri nemo potest, quomodo quis sine sensu doloris, cum Deorum maximo congrediatur? Atque ita Caridachus regnum, suáque omnia,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [127] - 99

ſalua ſibi, & integra conſeruauit, & reliqua omnis Catiſororum regio, in ius, ditionémque Attillæ conceſſit. Eigenti cùm ſeniorem ex filiis Regem Attillas conſtituere decreuiſſet, ad hanc rem conficiendam Oneſegium miſerat. Itaque nos expectare, vt dictum eſt, iubens Bigilam cùm Eſla ad Romanos amandauit, ſpecie quidem transfugarum repetendorum, ſed reuerà, vt aurum Edeconi promiſſum adferret. A Bigilæ diſceſſu, vno tantum die in his locis cõmorati, poſtridiè vnà cum Attilla, ad loca magis ad Arctum vergentia, profecti ſumus. Haud longo viæ ſpatio, cum barbaris progreſſi, aliò iter vertimus, Scythis exterorum deductoribus, nos id facere iubentibus. Attillas interea in quodam vico ſubſtitit, in quo filiam Eſcã in vxorem, etſi plures alias haberet, Scytharum legibus id permittentibus, ducere voluit. Illinc facili, & æqualivia, per planitiem patentem, iter fecimus, & in multos fluuios nauigabiles impegimus. Quorum poſt Iſtrum maximi ſunt Drecon dictus, & Tigas, & Tiphiſas. Maiores, nauiculis vnico ligno confectis, quas in quotidiano vſu habent qui ad flumi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [128] - 100

na habitant, reliquos lembis, ex propinquo desumptis, quos barbari curribus imponunt, & in loca restagnantia important, traiecimus. Congerebantur verò nobis, ex vicis commeatus, pro frumento, Cenchrum, pro vino, Medum, sic enim locorum incolæ vocant. Qui nos comitabantur, vt nobis ministrarent, cenchrum aduehebant, potionem ex hordeo præbentes, quam Camum barbari appellant. Longa via confecta, die ad noctem inclinante, ad paludem quandam, ad quam aquatum (erat enim eius aqua potui apta) proximi vici ibant, tentoria fiximus. Ingens ventus, & procella de repente exorta, cum tonitru, & crebris fulguribus, & multo imbre, tentorium nostrum disiecit, & omnia nostra vtensilia, in proximam paludem voluit. Turbinibus in aëre excitatis, & casu qui contigerat, perterrefacti, locum illum deseruimus, & ab inuicem dissociati, huc illuc palantes, viam vnusquisque nostrum, quam sibi commodam duxit, sub tenebris, & imbribus est persecutus. Tandem tuguria, & tecta vici subeuntes; (illuc enim, diuisis itineribus diuerteramus) omnes

in vnum conuenimus, & ea quæ nobis deerant, cum clamore perquiſiuimus. Ad quem ſtrepitum, Scythæ exilientes, calamos, quibus ad ignem vtuntur, vſ-ferunt, & accenſo lumine, interroga-runt, quid nobis vellemus, qui tantos clamores ederemus. Barbari qui nos co-mitabantur, reſponderunt, nos tem-peſtate perculſos turbari. Itaque nos liberaliter inuitatos, hoſpitio excepe-runt, & calamis ſiccis ignem accende-runt. Vici domina, quondam vna ex Bledæ vxoribus fuerat. Hæc nobis ci-baria, & mulieres formoſas, cum qui-bus, iocis & amori indulgeremus (hoc enim apud Scythas honori ducitur) ſup-peditauit. Mulieribus, pro cibis præ-bitis, gratias egimus, & ſub tectis no-ſtris ſomnum capientes, ab earum con-ſuetudine abſtinuimus. Simul ac illu-xit, ad ea, quæ ex noſtra minuta ſupel-lectile deſiderabantur, perquirenda, cu-ram conuertimus. Hæc partim in eo loco, vbi pridiè conſederamus, par-tim in ripa paludis, partim in ipſa palu-de reperta, recepimus. In his deſiccan-dis, totum diem in illo vico (tempe-ſtas enim deſierat, & clarus Sol appa-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [130] - 102

rebat) contriuimus. Deinde curatis equis, & reliquis animalibus, vecturæ inſeruientibus, Reginam ſalutatum iuimus. Hanc viciſſim donis remunerati ſumus, pateris argenteis, velleribus rubris, pipere Indico, & palmulis, & aliis aridis fructibus, ne barbaris, qui tantùm honoris nobis habuerant, concederemus. Nec multò pòſt, omnia fauſta, fœliciáque illis, hoſpitalitatis ergò precati, diſceſſimus. Sex dierum itinere emenſo, Scythæ exterorum deductores in quodam vico nos conſiſtere præceperunt, vt ponè Attillam, qui hac ſe in viam daturus erat, deinceps iter continuaremus. Hîc obuios habuimus legatos à Romanis Heſperiis, etiam ad Attillam miſſos. Erant autem pręcipui, Romulus Comitis dignitate decoratus, & Primutus, Noricæ regionis Præfectus, & Romanus, militaris ordinis ductor. His aderat Conſtantius, quem Ætius ad Attillam, vt illi in conſcribendis epiſtolis deſeruiret, miſerat, & Tatullus, Oreſtis eius, qui cum Edecone erat, pater, non legationis cauſa, ſed priuati officij, & familiaritatis ergo. Conſtantio enim in Italiis agenti, magnus cum illis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [131] - 103

vsus interceſſerat: Tatullum affinitas mouebat. Oreſtes enim eius filius, Romuli filiam, è Petourone Norici ciuitate, vxorem duxerat. Legati autem veniebant, vt Attillam lenirent, qui ſibi Syluanum, Armij menſæ Romæ præfectum, tradi poſtulabat, propterea quòd pateras aureas à Conſtantio quodam acceperat. Hic Conſtantius, ex Galliis Occidentalibus ortus, ad Attillam, & Bledam, vt illis in conſcribendis epiſtolis operam daret, quemadmodum & poſt illum alter Conſtantius, miſſus fuerat. Ille verò, quo tempore Sirmium oppidum, in Peonia ſitum, Scythæ obſidebant, aurea vaſa, à ciuitatis Epiſcopo, acceperat, vt ex eorum pretio, ſi ſe ſuperſtite, vrbem capi contigiſſet, quoad ſatis eſſet, pro ſua libertate ſolueretur; ſin periſſet, ciues in ſeruitutem abducti redimerentur. Sed Conſtantius, poſt vrbis excidium, de euentu Scythicæ obſidionis parum ſollicitus, Romam cuiuſdam negotij cauſa profectus, vaſa ad Syluanum detulit, & aurum ab eo accepit, conuenítque, vt ſi intra tempus præfinitum, aurum cum vſuris redderet, vaſa reciperet: ni feciſſet, Syluanus vaſa ſibi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [132] - 104

haberet, & his pro arbitrio, tanquam quæ ſua facta eſſent, vteretur. Hũc Conſtantium, Attillas & Bleda, cùm illis proditionis nomine ſuſpectus eſſet, in crucem egerunt. Ex quo, vt de poculis aureis, indicium ad Attillam eſt delatum, ſibi tradi Syluanum, tanquam furem, eorum quæ ſua facta eſſent, flagitauit. Legati igitur ab Ætio, & Romanorum Occidentalium Imperatore, venerant, qui dicerent, Syluanum Conſtantij creditorem, vaſa aurea, pro credito oppignerata, non furto ablata, penes ſe habuiſſe. Quæ ſacerdotibus, qui primi ſe obtuliſſent, nummis argenteis permutaſſet. Nec enim fas eſſe hominibus pocula Deo conſecrata, proprijs vſibus applicare. Itaque niſi eum tam iuſta cauſa, aut diuini numinis reuerentia, à petendis poculis dimoueat, ſi Syluanus inſtantiùs vrgeatur, aurum pro pateris præbiturum. Hominem enim, qui in nullo deliquit, minimè dedideris. Hæc erat igitur horum virorum legationis cauſa, qui barbarum ſequebantur, vt reſponſum ferrent, & dimitterentur. Cùm verò nobis eadem via eundum foret, qua Attillas, parumper morati, dum præcederet,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [133] - 105

non multò pòst secuti, cum reliqua multitudine, traiectis quibusdam amnibus, ad quendam magnum vicum peruenimus. Hîc erant Attillæ ædes, quæ reliquis omnibus vbicumque locorum, eminentiores, & præstantiores esse ferebantur. Erant hæ ex lignis, & tabulis eximiè politis, extructæ, & ambitu ligneo circumdatæ, non ad munimentum, sed ad ornatum comparato. Proxima Regiæ erat Onesegij domus, & ipsa quoque ambitu ligneo constans, non tamen æquè, ac Attillæ, turribus insignis & conspicua. Lõgo satis interuallo à circuitu domus distabat balneũ, quod Onesegius, qui secundùm Attillam, plurimùm apud Scythas, opibus, & auctoritate valebat, lapidibus ex Peonia aduectis, ædificauerat. Nec enim apud eos, qui in ea parte Scythiæ habitant, vllus est aut lapis, aut arbos, sed materia aliũde aduecta vtuntur. Huius autem balnei architectus, è Sirmio captiuus abductus, mercedem operis sui libertatem consecuturum sperans, falsus sua spe, cùm nihil minùs cogitaret, in longè duriorem apud Scythas incidit seruitutem. Balneatorem enim cum Onesegius instituit, vt sibi, totique

ſuæ familiæ, cùm lauarẽtur, operas præſtaret. In hunc vicum aduentanti Attillæ, puellæ obuiàm prodierunt, quæ per ſeries antè gradientes, ſub linteis tenuibus & candidis, quàm maximè in longitudinem extenſis, ita vt ſub vnoquoque linteo, manibus mulierum ab vtraque parte in altum ſublato (erant enim multi huiuſmodi mulierum, ſub illis linteis, ordines) ſex puellæ, aut etiam plures, dũ iter pergerent, odas, & cantilenas Scythicas canerent. Iam proximè Oneſegij domum acceſſeramus (per ipſam enim via ducebat ad Regiam) cùm foras proſilijt Oneſegij vxor, magna ancillarum comitata multitudine, quæ opſonia, & vinum ferebant, qui maximus eſt apud Scythas honos. Hæc Attillam ſalutauit, rogauitque vt ex cibis deſumeret, quos cum ſumma teſtificatione ſuæ erga illum voluntatis, attulerat. Itaque vxori hominis ſibi neceſſarij gratificaturus, comeſſatus eſt, equo inſidens, barbaris, qui in eius comitatu erant, ſuſpenſam tabulam, (erat autem argentea) ſurſum capiti eius attollentibus. Deinde deguſtato calice, qui illi fuerat oblatus, in Regiam ſe recepit. Erat autem illa reliquis

conſpectior, & in altiori loco ſita. Nos verò in ædibus Oneſegij (ſic ille præceperat, redierat enim cum Attillæ filio) remanſimus. Illic cœnam ſumpſimus, excipiente nos eius vxore comitata illuſtrioribus, qui eum genere contingebant. Illi enim animum nobiſcum conuiuio exhilarare, per otium minimè licuit, quia quæ geſſerat, in negotio ad quod miſſus fuerat, & aduerſam, quæ filio Attillæ contigerat, valetudinem (dextrã enim, oſſe loco moto fregerat) renuntiaturus, tum primum à reditu, in Attillæ conſpectum venerat. A cœna, ædibus Oneſegij relictis, propiùs Attillæ ædes, tentoria poſuimus, vt Maximinus, quem ſcilicet Attillam conuenire, & cũ his, qui ei à conſilijs erant, colloquia facere oportebat, minimè longo ab Attilla diſtaret interuallo. Illic igitur quò migrauimus, noctem tranſegimus. Luce orta miſit me Maximinus ad Oneſegiũ, vt illi, tum quæ ipſe dabat, tum ab Imperatore miſſa munera traderem, atque etiam ſtatueret, vbi, & quando luberet, vt cum eo colloquium iniret. Perrexi igitur ad Oneſegium, cum famulis, qui dona portabant: ianuæ erant clauſæ:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [136] - 108

ego expectare donec aperirentur, & aliquis exiret, qui eum mei aduentus certiorem faceret. Itaque tempus mihi terenti, & circa murorum ambitum domus Onesegij ambulanti, progressus nescio quis, quem barbarum, & vnum aliquem ex Scythico exercitu esse rebar, Græca voce me salutauit dicens, Χαῖρε. Mirari ego qui fieret, vt Græcè loqueretur vir Scytha: etenim intra sua concluſi, barbaricam linguam colunt, & affectãt, neque tam Hunnorum, quàm Gothorum, aut etiam Ausoniorum, hi scilicet, quibus cum Romanis frequentius est commercium. Neque quisquam eorum facilè loquitur Græcè, nisi si qui sint captiui è Thracia, aut Illyrico maritimo. Sed illi ab obuio quoque dignosci possunt, quando occurrunt, & à vestibus laceris, & capitis squallore, tanquam qui in miseram inciderint fortunã. Hic verò præ se ferebat Scythã, qui opibus circumfluebat. Erat enim benè & eleganter vestitus, capite in rotundum raso. Hunc resalutans interrogaui, quis esset, & vnde in terram barbaram veniens, vitæ Scythicæ institutum sequi delegisset. Ille verò, Lubenter, ait, ista cognoscere

ſtudui. Mihi verò, inquam, hæc à te vt ſciſcitarer, cauſa fuit, quòd Græcè locutus es. Tum ridens, ait, ſe Græcum eſſe genere, ad mercaturam faciendam, Viminacium, Myſorum ad Iſtrum vrbem, acceſſiſſe, in ea domicilium longo tempore habuiſſe, vxorem quoque diuitem duxiſſe, parta illic fœlicitate, capta vrbe exutum fuiſſe, & propterea quòd diues erat, ſe, ſuáque omnia, in prædæ diuiſione Oneſegio ceſſiſſe. Etenim eſſe apud eos in more poſitum, vt præcipui ab Attilla Scythiæ principes, captiuos ditiores ſibi ſeponant, quos deinde in plures diuidunt, & partiuntur. Poſtea vbi aduerſus Romanos fortiſsimè dimicaſſet, & Acatzirorum gentem domino barbaro ſubdidiſſet, omnia quæ bello acquiſierat, vnà cum libertate, vt Scytharum legibus cauetur, propria ſibi vindicaſſe. Mulieri quoque barbaræ nupſiſſe, & ex ea liberos ſuſtuliſſe, & Oneſegij menſæ participem, hoc vitæ genus, longè potius priore, ducere. Qui enim apud Scythas degunt, tolerato bellorum labore, ſine vlla ſollicitudine, vitam peragunt. Tum vnuſquiſque bonis, quæ ſibi fortuna indulſit, fruitur, neque quiſquam illi,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [138] - 110

vlla in re, ne minima quidem, negotium exhibet, aut moleſtus eſt. Qui verò ſub Romanis ætatem agunt, facilè in bello capiuntur. Hos enim in alijs ſui conſeruandi ſpem collocare neceſſe eſt, quandoquidem per tyrannos, minimè licet, arma, quibus vnuſquiſque ſe tueatur, & à ſe vim propulſet, geſtare. Atque adeò his, quibus id iure licet, valdè eſt exitioſa, & pernicioſa Ducum ignauia, qui bellum minimè gnauiter gerunt. At in pace longè acerbiora ſunt, quæ accidunt, quàm calamitates, quæ ex bello proueniunt. Hinc grauitas tributorum, illinc detrimenta, quæ ex malis legibus oriuntur, quæ non ſunt in omnes poſitæ. Si quis diues, aut potens, eas ſit tranſgreſſus, ille quidem iniquitatis ſuæ pœnas non luet, ſin aliquis inops, parum cautus, qui negotia gerere & adminiſtrare neſciat, hunc pœna à legibus ſtatuta manet. Niſi fortè eum priuſquàm ſententia feratur, longo in litibus continuato tempore, multis præter ea exhauſtis opibus, vita defecerit. At niſi mercede & pretio, quod legum & iuris eſt obtinere, id verò eſt maximè execrandum, & deteſtandum. Nec enim

iniuria affecto, quisquam fori iudicialis potestatem faciet, priusquàm argentum, iudicis, & eius ministrorum commodo cessurum, deponat. Hæc, atque huiusmodi multa, cùm in medium proferret, præfatus sum, vt quod sentirem, patienter & benignè audiret, & dixi, O quàm prudentes, & probi fuerunt, constitutionis reip. Romanæ auctores. Hi cùm negotia alia aliò ferrent, hos legum custodes fecerunt, illis armorum curam delegarunt, vt ad nullam aliam rem intenti, quàm se ad pugnam præparare, militaria opera exercerent, & propulsata, per assiduam ad bellum meditationem, omni formidine, consueta militiæ exercitatione, animis firmati, in aciem descenderent. Qui autem agris colendis, & culturæ terræ operam dabant, ab his annonam militarem exigentes, statuerunt, vt eos alerent, qui pro sua salute dimicabant. Constituerunt quoque, qui iniuria affectis prospicerent. Itaque quoniam ferè ita natura comparatum est, quæ est humani ingenij imbecillitas, vt plerique sua iura explicare, & firmare minimè possint, alios aliorum iura tueri & defensitare, alios

alios ius dicentes, ea quæ leges perſcribunt, iudicare, & decernere voluerunt. Neque verò ſua prouidentia deſtitutos reliquerunt eos, qui iudicibus adſunt, ſed horum eſſe partes proſpicere, qua ratione ius aſſequatur, qui ſententia iudicum obtinuit, & iniurius iudicatus, id ſolùm quod iudicij calculus fert, & nihil prætereà facere cogatur. Si enim non eſſent huic rei præpoſiti, aut victore inſolentiùs inſurgente, aut eo, qui aduerſam ſententiam reportauit, in obſtinata & peruerſa mente permanente, ex vna lite, alterius litis naſceretur exordium. Eſt autem his conſtitutum argentum ab illis, qui litibus certant, vt militibus ab agricolis. Quid enim magis pium, quàm eum, qui opituletur, & auxilium ferat, alere? & officium mutuo officio rependere? quemadmodum equiti emolumento eſt equi, emolumento eſt paſtori boum, & venatori, canum tuitio & curatio, & reliquorum huiuſmodi, quorum homines curam & cuſtodiam agunt, & vtilitatem quoque ex his percipiunt. Cùm autem ſumptus in litem factos, qui cauſa cadunt, refundunt, damnum nulli alij rei, quàm ſuæ iniqui-

tati, adscribant, & imputent oportet. Quod ad longum tempus attinet, quod in litibus consumitur, si quando id evenit, id iuris prouidentiùs, & consultiùs dicendi gratia fit, ne iudices properantes ab accurata iudicandi ratione aberrent. Sic enim iudicant melius esse, tardiùs finem litibus imponere, quàm festinantes, non solùm iniquum ius in hominem statuere, verùm etiam in Deum, iustitiæ inuentorem peierare. Leges autem in omnes positę sunt, vt & illis etiam ipse Imperator pareat, & obsequatur. Neque ille, quòd illis non pareatur, vlli reprehensioni subest, aut potentiores si tenuioribus vim inferant, id illis est impune, nisi ignoratus quis pœnam effugerit, quod non solùm diuitibus, sed etiam inopibus plerũque vsu venit. Facinorosi enim, si nemo reperiatur qui eos accuset, & iudicio persequatur, minimè punientur. Quod non solùm apud Romanos, sed etiam vbique gentium accidit. Gratiam verò plurimam, ipsum pro recepta libertate, fortunæ debere, neque eam domino acceptam referre. Cùm enim eum in bellum eduxerit, potuisse ab hostibus, propter rei militaris

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [142] - 114

imperitiam, occidi, aut si fugisset, ab eo in cuius dominio erat, puniri. Longè autem Romani benigniùs seruis consuluerunt. Patrum enim, aut præceptorum affectum erga eos exhibent, & vt à malis abstineant curant, & eorum, quæ honesta ducunt, participes efficiunt. Denique corrigunt, & emendant in his, quæ delinquunt, sicut & suos liberos. Nec enim seruos morte afficere, sicut apud Scythas, fas est. Libertatis verò adipiscẽdæ plures sunt modi. Non enim solùm qui vita fruuntur, sed etiam qui è viuis excedunt, libertatem tribuere possunt, & de suis facultatibus, pro arbitrio, vt fert animus, disponunt, & quodcumque quis moriẽs statuerit, lex est. Tum ille plorans, inquit, Leges apud Romanos bonas, & Rempubl. præclarè constitutam esse; sed magistratus, qui non æquè ac prisci, probi & prudentes sunt, eam labefactant, & peruertunt. Hæc inter nos differentibus, aliquis ex domesticis Onesegij septorum domus fores aperuit. Ego statim accurrere, & quærere quas res ageret Onesegius. Me enim habere à Maximino, qui legatus à Romanis venerat, quod illi di-

cerem. Ille verò Onesegium, mihi sui facturum copiam respondit, si modicùm opperirer, exiturum enim esse. Nec multo temporis spatio interiecto, vt ipsum exeuntem vidi, progressus dixi: Te Romanorum legatus salutat, & dona tibi ab ipso, vnà cum auro ab Imperatore misso, adfero. Et mihi conanti in eum sermonem deuenire, vbi, & quando vellet colloqui, ille suos qui aderant, iussit aurum, & munera recipere, & me Maximino renuntiare, se protinus ad eum accedere. Reuerti igitur ad Maximinũ, & renuntiaui Onesegium ad se venire: nec mora, in tentorium nostrum aduenit, & Maximinum affatus dixit, Se Imperatori, & illi pro muneribus gratias agere, & percunctatus est, quandoquidem se accersisset, quid esset, quod illum vellet: tum Maximinus instare tempus, ait, quo posset maiorem gloriam, quàm quisquam hominum adipisci, si ad Imperatorem accedens, quæ sunt inter Romanos, & Hunnos controuersa, sua prudentia componeret, & inter vtramque gentem concordiam stabiliret: quæ res non solùm commodo, & vtilitati vtriusque gentis esset cessura, sed etiam

eius domui tanta bona præbitura, vt ipse vnà cum suis liberis, in posterum Imperatori, totoque Imperatorio generi, in perpetuum deuinctus foret. Tum Onesegius dixit, Qua in re gratificaretur Imperatori, & per se contentiones dirimeret? Respondenti Maximino, Si in rem præsentem descendens, Imperatori gratiam referret,& dissidiorum causas sedulò perscrutans, de rebus controuersis, secundùm conditiones fœderibus adscriptas, iudicium suum interponeret. Tum Onesegius respondit se, iamdudum Imperatorem, & eos, qui ei à consilijs erant, admonuisse, quæ esset Attillæ de hac tota re sententia. An Romani existimant, inquit, se vllis precibus exorari posse, vt prodat dominum suum, & nihili faciat educationem apud Scythas, vxorum & liberorum suorũ? Non quoque potiorem ducere apud Attillam seruitutem, quàm apud Romanos ingentes opes? Cæterùm se domi remanentem, maiori eorum rebus adiumento futurum; quippe qui iracundum domini animum placaret, & ad lenitatem flecteret, si quibus in rebus quid durius, illum in Romanos consulere contin-

geret, quàm si ad eos accedens, criminationi se obijceret, si fortè quid, contrà quàm Attillæ rationibus commodum videretur, faceret. Quæ cùm dixisset, & me colloquium cum eo facturum, de his, quæ ex ipso intelligere cupiebamus, existimaret (à Maximino enim, in dignitate constituto, alienus, & parum decorus erat continuus congressus) abijt. Postridiè ad domus Attillæ interiora septa me contuli, dona ferens eius vxori, quæ Cerca vocabatur. Ex ea tres illi liberi. Senior iam tum Acatirorum, & reliquarum gentium, quà Scythia ad Pontum patet, regno potiebatur. Intra illa septa erant multa ædificia, partim ex tabulis sculptis, & eleganter compactis, partim ex trabibus, opere puro, & in rectitudinem affabrè dolatis, & politis, quæ erant interiectæ, lignis ad tornure elaboratis, extructa & composita. Circuli autem à solo incipientes, in altum assurgebant, certa proportione, & mensura. Hic habitabat Attillæ vxor, ad quam à barbaris, qui circa ianuas erant, nactus aditum, ipsam deprehendi in molli stragula iacentem. Erat autem pauimentum ta-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [146] - 118

petibus ſtratum, & ſuper ipſis gradiebamur. Eam famulorum multitudo in orbem circumſtabat, & ancillæ ex aduerſo humi ſedentes, telas coloribus variegabant, quæ veſtibus barbarorum ad ornatum inſeruntur. Cerca ſalutata, & muneribus traditis, egreſſus, expectans dum Oneſegius Regia exiret, (iam enim è domo ſua illuc venerat) reliqua ædificia, vbi Attillas commorabatur, perluſtraui. Hic dum ego ſtarem cum reliqua multitudine (nec enim acceſſu vllius loci prohibebar, quippe qui Attillæ cuſtodibus, & barbaris, qui eum aſſectabantur, eram notus) vidi magnam turbam, quà prodibat, currentem, tumultum, & ſtrepitum excitantem. Attillas egreſſus habitatione, grauis vultu, omnium oculis, quaqua verſus, in ſe conuerſis, incedens cum Oneſegio, ſedit pro ædibus. Hic eum multi, quibus erant lites, adierunt, & eius iudicium exceperunt. Deinde domum repetijt, & barbararum gentium legatos, qui ad ſe venerant, admiſit. Mihi verò Oneſegium expectanti, Romulus, Primutus, & Romanus, legati pro vaſis aureis, ab Italia ad Attillam, vnà cum Ru-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [147] - 119

ſticio, qui in comitatu Conſtantij erat, & Conſtantiolo, ex Pæonũ regione, quæ Attillæ parebat, me ſunt ſermone adorti, & interrogauerunt, vtrum dimiſſi eſſemus. Idipſum, inquam, vt ſciam ex Oneſegio, intra iſta ſepta opperior. Tum ego illos viciſsim percunctari, an aliquod mite reſponſum ad ea, de quibus legati venerant, ab Attilla tuliſſent. Nequaquam, aiunt, illum deduci à ſententia, ſed bellum minari, & denuntiare, ni Syluanus, aut pocula dedantur. Nos verò cùm barbari miraremur animi impotentiam, Romulus vir multis honorificentiſsimis legationibus functus, & multo rerum vſu præditus, ait Secundam fortunam, quæ ipſum in altiſsimo gradu collocauit, ſpiritus facere, & ex fortuna poteſtatem adeptum efferri, neque iuſtis ſermonibus, vllum apud ſe locum relinquere, neque quicquam, niſi quod ſibi venerit in mentem, æquum putare. Nemo vnquam eorum, qui in Scythia, vel alibi regnarunt, tantas res, tam breui tempore geſsit. Totius Scythiæ dominatum ſibi comparauit, & ad Oceani inſulas vſque, imperium ſuum extendit, vt etiam Romanos

tributorum præstationi obnoxios habeat. Nec his contentus, ad longè maiora animum adiecit, & latiùs imperij sui fines protendere, & Persas bello aggredi cogitat. Vno ex nobis quærente, quæ via, è Scythia, in Persas duceret? Romulus dixit, non longo locorum interuallo, Medos dissitos esse à Scythis, neque non Hunnos hanc viam nescire, sed olim, fame per eorum regionem grassante, cùm Romani, propter bellum, quod tunc temporis gerebant, minimè cum illis prælio decertarent, hac irrupisse, & ad Medorum oppida, Bazic & Coursic, vsque penetrasse. Nec multò pòst Principes, ex Scytharum Regibus ortos, magnæ hominum multitudini imperantes, qui ad hanc expeditionem egressi fuerant, Romam ad contrahendam armorum societatem veniisse. Hos narrasse, per quandam desertam regionem illis iter fuisse, & paludem traiecisse, quam Romulus existimabat esse Mæotidem: deinde quindecim diebus elapsis, à quibusdam montibus, quos superassent, in Mediam descendisse. Ibi prędas agentibus, & excursionibus agros vastantibus, Persicum agmen superue-

niens, telis superpositum aëra repleuisse. Itaque imminentis periculi metu, retro abscessisse, & montes regressos, pauxillum prædæ abegisse. Magnam enim partem Medos extorsisse, & vt hostium impetum euitarent, ad aliam viam deflexisse. Et per loca, vbi ex petra maritima flamma ardet, illinc profectos, nescio quot dierum itinere ad propria remeasse. Atque ex eo satis prospexisse, non magno interuallo Scythiam à Medis distare. Quamobrem si Attillam impetus ceperit, Medos inuadendi, non multum operæ, & laboris, in eam inuasionem consumpturum, neque magnis itineribus defatigatum iri, vt Medos, Parthos, & Persas adoriatur, & cogat tributi illationi se submittere. Adesse enim illi magnas copias, quas nulla gens sustinere possit: nobis verò optantibus, vt Persis arma inferret, & à nobis in illos belli molem auerteret: Verendum est, inquit Constantiolus, ne Persis facilè deuictis, non iam ampliùs amicus, sed dominus insultet. Nunc enim aurum ad ipsum defertur, pro dignitate, qua ipsum ornauimus. Quòd si Medos, Parthos, & Persas domuerit, minimè à Romanis,

qui eius imperio limitem constituunt, temperabit; sed suos famulos arroganter reputans, grauia & intolerabilia mandata sua facere coget. Dignitas autem, cuius mentionem Constantiolus fecit, erat Romanorum exercituum Ducis, cuius decus Attillas ab Imperatore susceperat, ad hoc vt ad eum stipendia eius, qui exercitus regebat, mitterentur. Innuebat igitur Attillam; hoc nomen aut aliud, quo Romanis illum vocare lubet, aut dignitatem, quam illi ornamenti loco esse existimant, transgressurum, & perrupturum, & pro Duce, coacturum eos se Regem appellare. Iam tum enim cùm irascebatur, dicebat, exercituum Duces, suos esse seruos: qui quidem Attillæ, non tamen Imperatoribus Romanis, erant honore, & dignitate pares. Neque verò illi parua potentiæ accessio cõtigerat ex eo, quòd Martis ensis erat detectus. Hic tanquàm sacer, & Deo bellorum præsidi dedicatus, à Scytharum Regibus olim colebatur. Et multis antè sæculis non visus, bouis ministerio fuerat tunc temporis erutus. Et vnoquoque de his, quæ proposita erant, dicere gestiente, Onesegius foras prosiliit, ad

quem, vt ex eo disceremus, quæ nostræ curæ commissa fuerant, accessimus. Ille verò priùs, cum nescio quibus barbaris collocutus, scire me ex Maximino iussit, quem Romani ex consularibus, legatum ad Attillam essent missuri. Vt in tentorium veni, & Maximino, quæ mihi Onesegius dixerat recitaui, habita de eo, quod barbaris respondendum esset, deliberatione, redij, dixiq́ue Onesegio, Romanos magnopere desiderare, illum suarum cum Attilla controuersiarũ disceptatorem ad se accedere. Qua spe si exciderint, Imperatorem, quem sibi libuerit, legatum missurum. Ex templò me Maximinum accersere iussit, quem vt venit, ad Attillam deduxit. Vnde non multò pòst Maximinus reuersus, narrauit, barbarum velle, Imperatorem ad se mittere legatos, aut Nomium, aut Anatolium, aut Senatorem, neque vllos alios, præter hos, admissurum. Et cùm Maximinus subderet, minimè conuenire, legatos qui ad se mittantur, designando, suspectos Imperatori reddere, Attillam respondisse: Si hæc abnuerint, armis se controuersias disceptaturum. Reuersis nobis in tentorium, ecce ad nos Orestis

pater, Vos ambos, inquit, ad conuiuium inuitat Attillas, fiet verò illud ad nonam diei. Tempore condicto obseruato, vt venimus, & vnà quoque Romanorum Occidentalium legati, stetimus in limine cœnaculi coram Attilla. Hîc Pincernæ, vt mos est in illis regionibus, calicem tradiderunt, vt ante accubitum, vota faceremus. Quo facto, & calice degustato, ipsa solia, in quibus nos sedentes cœnare oportebat, ingressi sumus. Hîc præparata erant omnia sedilia, circa parietes cubiculi, ab vtraque parte disposita: in medio sedebat Attillas, in lecto, è regione cuius erat & alter Attillę lectus, ponè quem erant quidam gradus, qui ad eius cubile ferebant, linteis candidis, & variis tapetibus, venustatis & ornatus gratia, contectum, simile cubilibus, quæ Romani, & Græci, nubentibus adornare pro more habent. Tum conuiuarum primum ordinem, ad Attillæ dextram sedere constituerunt, secundum ad læuam: in quo nos & Berichus, vir apud Scythas nobilis, sed Berichus superiore loco. Nam Onesegius in cathedra, ad dextram Regij thori, & è regione Onesegij, duo ex Attillæ filiis sedebant. Se-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [153] - 125

nior enim in eodem, quo pater throno, non propè, sed multùm infrà accumbebat, oculis præ pudore, propter patris præsentiam, semper in terram coniectis. Omnibus ordine sedentibus, qui Attillæ erat à poculis, ingrediens, pateram vini tradit. Hanc vbi suscepit, priorem ordine salutauit, salutatione honoratus surrexit, neque priùs, eum sedere fas erat, quàm merum deguſtans, aut etiam ebibens, poculum pocillatori redderet. Sedenti autem Attillæ, ex more, qui conuiuio intererant, pocula suscipientes, & post salutationem deguſtantes, honorem exhibebant. Vnicuique verò vnus pocillator aderat, quem pincerna Attillæ exeunte, introire suo ordine oportuit. Secundo sedente, & reliquis deinceps ad hunc modum honore affectis, Attillas nos ex Thracum instituto, ad parium poculorum certamen prouocauit. Tum omnibus salutationis honore delato, pincernæ recesserunt. Mensæ verò iuxtà Attillæ mensam erant erectæ, excipiendis tribus & quatuor, aut etiam pluribus cõuiuis idoneæ, quorum vnusquisque poterat, minimè transgressis sedium ordinibus, cultello, ex ferculis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [154] - 126

quod ſibi libitum erat, deſumere. Deinde primus in medium acceſſit Attillæ miniſter, diſcum carnibus plenum ferens. Poſt ipſum, qui reliquis miniſtrabant, panem, & opſonia menſis appoſuerunt. Sed cæteris quidem barbaris, & nobis cœna omni eduliorum genere referta & inſtructa, præparata erat, & in diſcis argenteis repoſita, Attillæ in quadra lignea, & nihil præter carnes. Moderatum pariter, in reliquis omnibus ſeſe præbebat. Conuiuis aurea & argentea pocula, quibus bibebant, ſuppeditabantur, Attillæ poculum erat ligneum. Frugalis admodum illius veſtis, nihil, quo ab aliorum veſtibus dignoſci poſſet, habebat, niſi quòd erat pura & impermixta. Neque eius enſis erat aliqua illuſtri elegantia conſpicuus, neque calceorum barbarorum ligamina, neque eius equi fræna, vt reliquorum Scytharum, auro, aut lapidibus, & aliis huiuſmodi pretioſis gemmis erant ornata. Vt opſonia primorum ferculorum fuere cõſumpta, ſurreximus, neque priùs quiſquam noſtrum ad ſedem ſuam eſt reuerſus, quàm ſibi traditam pateram, vini plenam, ſeruato quem ſuprà diximus ritu,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [155] - 127

Attillam ſaluum & incolumem precatus, ebibiſſet. Eo ad hunc modum honore culto, ſedimus. Tum noua fercula cuique menſæ ſunt illata, quæ alia continebant eſculenta, ex quibus vbi omnes, quoad ſatis eſſet, comediſſent, modo quo ſuprà, in pedes erecti, ebibito calice, ſedes noſtras repetiuimus. Adueniente veſpere, ſublatis epulis, duo viri Scythæ coram Attilla prodierunt, & verſus à ſe factos, quibus eius victorias, & bellicas virtutes canebant, recitarunt. In quos conuiuæ oculos, vultúſque defixerunt. Et alij quidem verſibus delectabãtur, aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat, aliis manabant lachrymæ, quorum ætas affecta, reddiderat corpus effœtum, & imbecillum, ex quo eorum pugnandi ardor, & cupiditas, quieſcere cogebatur. Poſt cantus, & carmina, Scytha neſcio quis, mente captus, abſurda & prodigioſa, nec ſani ſenſus quicquam habentia, reſonans & deblatterans, riſum omnibus commouit. Poſtremò Zeuchon Mauruſius introiuit. Edecon enim illi perſuaſerat, vt ad Attillam veniret, omnem operam, & ſtudium pollicitus, quo vxorem recuperaret. Hanc enim

enim cùm illi Bleda ſtuderet, in barbarorum regione acceperat, quam in Scythia, ab Attilla ad Ætium dono miſſus, reliquerat. Sed hac ſpe fruſtratus eſt, quia Attillas illi ſuccenſuit, quòd ad ſua remigraſſet. Itaque tunc arrepta feſtiuitatis occaſione progreſſus, & forma, & habitu, & pronuntiatione, & verbis confusè ab eo prolatis, modò Auſoniorum, modò Hunnorum, modò Gothorum linguam intermiſcens, omnes lætitia & hilaritate diffudit, & effecit, vt in riſum, qui ſedari & extingui non poterat, prorumperent. Sed Attillas ſemper eodem vultu, omnis mutationis expers, & immotus permanſit, neque quicquam facere, aut dicere, quod iocum, aut hilaritatem præ ſe ferret, conſpectus eſt. Præter quàm quòd iuniorem ex filiis introëuntem, & aduentantem, nomine Irnach, placidis & lætis oculis eſt intuitus, & eum gena traxit. Ego verò cum admirarer Attillam, reliquos ſuos liberos parui facere, ad hunc ſolùm aduertere, & animum adijcere; vnus ex barbaris, qui propè me ſedebat, & Latinæ linguæ vſum habebat, fide priùs accepta, me nihil eorum, quæ dicerentur, euulgaturũ, dixit, Vates

Attillæ vaticinatos esse, eius genus, quod alioquin interiturum erat, ab hoc puero restauratum iri. Vt verò conuiuium ad multam noctem protraxerunt, minimè diutius nobis compotationi indulgendum esse duximus, sed frequentes exiuimus. Die exorto, Onesegium adiuimus, dicentes nos dimitti oportere, neque nobis diutius in vanum tempus terendum esse. Ille Attillam quoque in ea esse voluntate, & nos dimittere constituisse respondit. Itaque non multò pòst, consilium Procerum, de his, quæ Attillas statuerat, habuit, & litteras, quæ ab eo Imperatori redderentur, digessit. Aderant enim, quorum curæ epistolas scribere incumbebat, inter quos erat Rusticius, vir è superiore Mysia ortus, qui ab hostibus captus, cùm dicendi facultate valeret, barbaro laborem & operam in conscribendis epistolis nauabat. Dimisso consilio ab Onesegio, precibus contendimus, vt Syllæ vxori, & eius liberis, qui in expugnatione vrbis Ratiariæ, vnà cum matre, seruituti mancipati fuerant, libertatem restitueret. Et verò ab his liberandis minimè abhorrebat, sed eorum liberationem magna pecuniæ summa emptam

volebat. Itaque nos eum ſupplices orare & obteſtari, vt habita eorum priſtinæ fortunæ ratione, præſentis calamitatis commiſeratione moueretur. Ille, vt Attillam adijt, mulierem pro quinquaginta aureis liberam abire ſiuit, & eius filios dono, ad Imperatorem miſit. Intereà Reccam Attillæ vxor, quæ eius res domeſticas curabat, nos etiam ad cœnam inuitauit. Ad eam, vt erat multis Scythiæ Principibus comitata, accedentes, contigit nobis eius humanitate frui. Illa verò nos excepit mellitis, & iucundis confabulationibus, & magnifico epularum apparatu. Tum vnuſquiſque eorum qui aderant, ſurgens, Scythica comitate poculum plenum nobis porrexit, & eum qui biberat amplexus, & exoſculatus, illud excepit. A cœna nos in tentorium noſtrum recipientes, ſomnum cepimus. Poſtridiè iterum nos Attillas ad cœnam inuitauit, & eodem quo priùs ritu, ad eum acceſſimus, & ad hilaritatem nos conuertimus. Accidit autem, ſeniorem ex filiis Attillæ, minimè in hoc conuiuio, in eius thoro vnà cum ipſo accumbere, ſed Oerbarſium patruum, quem patris loco ducebat. Per totum conuiuij

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [159] - 131

tempus, nos blandis ſermonibus appellans, Maximinum Imperatori dicere præcepit, vt Conſtantio, quem ad eum Ætius, vt ab epiſtolis eſſet miſerat, vxorem daret eam, quæ illi promiſſa fuerat. Etenim Conſtantius, vnà cum Attillæ legatis, ad Theodoſium venerat, & ſe operam daturum, vt pax longo tempore inter Romanos, & Hunnos ſeruaretur, dixerat, modò ſibi vxorem locupletem matrimonio copularet. Huic petitioni Imperator annuerat, & Saturnilli filiam, viri & opibus, & genere clari & ornati, ſe illi nuptui daturum promiſerat. Saturnillum autem occidit Athenas, ſeu Eudocia, (vtroque enim nomine vocabatur) neque Imperatori, ad exitum perducere, quod promiſerat, per Zenonem virum Conſularem licuit. Is enim tunc temporis magna Iſaurorum multitudine ſtipatus, vrbi Conſtantinopoli, quæ bello premebatur, præſidio erat, & Eoos exercitus regebat. Itaque puellam cuſtodia eduxit, & Ruffo cuidam, vni ex ſuis neceſſariis deſpondit. Hac puella ſibi ſubſtracta, Cõſtantius barbarum orabat, ne ſibi factam contumeliam negligeret, ſed perficeret, vt illi vxor daretur,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [160] - 132

aut ea quæ erepta fuerat, aut etiam alia quæ dotem adferret. Quamobrem per cœnæ tempus, Barbarus iussit Maximino, vt Imperatori diceret, Non oportere Constantium sua spe falli, & ab Imperatoris dignitate alienum videri, mendacem esse. Hæc Attillas Maximino in mandatis dabat, propterea quòd Constantius illi ingentem pecuniæ summam daturum pollicitus erat, si eius studio, & opera, vxorem è Romanis puellis locupletem duceret. Aduenientenocte à cœna discessimus. Tribus deinde diebus elapsis, muneribus donati dimissi sumus. Attillas quoque Berichum, virum è Scythiæ primoribus, multorum vicorum in Scythia dominum, & qui in conuiuio, eodem quo nos ordine, sed superiore loco sederat, nobiscum legatum ad Imperatorem misit. Hunc enim & aliàs Romani pro legato admiserant. Nobis autem iter conficientibus, & ad quendam vicum appellentibus, captus est vir Scytha, quia à Romanis explorandi gratia, in barbaram regionem descenderat, quem crucis supplicio affici Attillas præcepit. Postridie etiam dum per alios vicos progrederemur, duo, qui apud Scythas ser-

uitutem ſeruiebant, manibus vincti poſt terga trahebantur, quòd his, quos belli caſus, ſuæ vitæ neciſque dominos feciſſet, vitam eripuiſſent. Hos, immiſſis inter duo cornua lignea capitibus, in cruce necarunt: Berichus verò vſque dum Scythia exiuimus, communi, eadémque via nobiſcum iuerat, & placidus, & amicus viſus erat. Vt Iſtrum traiecimus, propter quaſdam vanas cauſas, à ſeruis profectas, nos inimicorum loco habuit. Et primùm quidem equum, quem Maximino dono dederat, ad ſe reuocauit. Etenim Attillas omnes Scythiæ principes, qui in eius comitatu erant, donis Maximinum ornare iuſſerat, & vnuſquiſque certatim illi equum contulerat, inter quos & Berichus. At ille cùm frugi ſe probare & moderationis gloriam reportare ſtuderet, ex equis oblatis paucos acceperat, reliquos reiecerat: Berichus igitur equum, quem Maximino dederat, ademit, neque deinceps eadem via ire, aut conuerſari nobiſcum inſtituit. Itaque hoſpitalitatis teſſera, in barbara regione contracta, eò vſque progreſſa eſt. Hinc per Philippopolim ad Adrianopolim nobis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [162] - 134

iter fuit. In hac ciuitate paulùm moræ trahentes, & quieſcentes, Berichum ſumus ſermone aggreſſi, & cum eo, quòd tamdiu erga nos ſilentium tenuiſſet, expoſtulauimus. Nec enim vllam fuiſſe cauſam cur nobis iraſceretur, quandoquidem in nulla re eum offenderamus. Itaque eo placato, & ad cœnam inuitato, ab Adrianopoli mouimus. In itinere Bigilam, qui in Scythiam reuertebatur, obuium habuimus: quo edocto, quæ Attillas ad legationem noſtram reſponderat, cœptum iter continuauimus. Vt Conſtantinopolim venimus, Berichum exiſtimabamus iram abieciſſe; ſed agreſtis, & feræ ſuæ naturæ minimè eſt oblitus. Nam Maximinum inſimulauit dixiſſe, Areomindi & Aſparis exercituum ducum auctoritatem apud Imperatorem nullius eſſe ponderis, & cùm barbarorum leuitatem & inconſtantiam notaſſet, eorum geſta in nullo pretio habenda.

Reuerſum Bigilam (tum fortè contigerat Attilam in his locis eſſe, vnde profectus fuerat) circumſtantes barbari ad id præparati comprehenderunt, & manus in pecunias, quas Edeconi adfe-

rebat, iniecerunt, & eum ad Attillam adduxerunt. Is ex eo quæsiuit, cuius rei gratia tantum auri adsportasset. Ad subsidia rei familiaris, respondit, & vt eorum qui mecum sunt, necessitatibus prouiderem, ne rerum necessariarum inopia, aut equorum, aut aliorum animalium vecturæ aptorum penuria, quæ per longa itinera deperierant, à studio obeundarum legationum auocarer. Præterea in redemptionem captiuorum. Multos enim ex Romanis à se magnopere petiisse, vt proximos suos redimeret. Cui Attillas: Sed neque iam, ô dira bestia, Bigilam appellans, vllum tibi, tuis cauillationibus, iudicij subeundi patebit effugium: neque vlla satis iusta, & idonea causa erit, qua meritum supplicium euitare possis. Lõgè enim maior summa est, quàm qua tibi sit opus ad sustentandam familiam, vel etiam quàm impendas in emptionem equorum, vel animalium vecturæ aptorum, vel liberationem captiuorum; quorum tamen omnium, iamdudum Maximino, & his qui cum eo erant, interdixi commercium. Hæc dicens, filiũ Bigilæ (is tum primùm patrem secutus in barbaram regionem venerat)

enſe traijci iubet, niſi pater palàm faceret, quem in vſum, & quam ob cauſam, tantum auri aduexiſſet. Ille vt vidit filium morti addictum, ad lachrymas conuerſus, ius implorare, & enſem in ſe mitti debere, non in filium, qui nihil commeruiſſet. Nec cunctatus, omnia clandeſtina conſilia, quæ à ſe, ab Edecone, & Eunucho, & Imperatore, in Attillam compoſita fuerant, aperuit, & ad præces prolapſus, orare & obteſtari, vt ſe occideret, & filium nihil promeritum liberaret. Cùm autem Attillas ex his, quæ Edecon ſibi detexerat, Bigilam nihil mentitum perſpiceret, in vincula duci præcepit, à quibus non priùs eum exoluturum minatus eſt, quàm eius filius in eam rem dimiſſus, alias centum auri libras, pro vtriuſque liberatione exoluiſſet; & Bigilas quidem in vincula eſt coniectus, filius autem ad Romanos redijt. Miſit etiam Attillas Oreſtem, & Eſlam Conſtantinopolim.

Hinc Attillas, illinc Zeno Chryſaphium ad pœnam depoſcebant. Omniũ autem in eum animis, & ſtudijs inclinatis, viſum eſt ad Attillam legatos mittere Anatolium, & Nomium: Anatolium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [165] - 137

quidem regiorum tributorum præfectum, & qui pacis cum barbaro initæ conditiones proposuerat. Nomium verò magistri dignitatem gerentem, & in numerum patriciorum vnà cum Anatolio allectum. Eò illi per omnes honorum gradus ascenderant. Missus verò est cum Anatolio Nomius, non solum propter dignitatis amplitudinem, sed etiam quia erat beneuolo in Chrysaphium animo, & apud barbarum gratia, & auctoritate plurimum valebat. Propterea quòd ad eius se rationes adiunxerat, cùm ei, qui res, quæ tunc erant, componere cuperet, minimè pecunijs parcendum esse censuerat. Et illi quidem mittebantur, quò Attillam abira dimouerent, & pacis conditiones obseruare persuaderent. Qui dicerent quoque Constantio nuptum datum iri puellam, minimè Saturnilli filiæ, genere, & opibus inferiorem. Illam enim minimè gratum huiusmodi matrimonium habuisse: itaque secundum legem, alteri nupsisse. Nec enim apud Romanos fas esse, mulierem inuitam viro collocare. Misit & Eunuchus aurum ad barbarum, quo mollitus ab ira deduceretur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [166] - 138

Anatolius,& Nomius,Istro transmisso, ad Drenconem fluuium vsque (sic enim appellant) penetrarunt. Illic Attillas pudore , & reuerentia tantorum virorum motus , ne longioribus itineribus defatigarentur , cum illis collocutus est. Initio quidem multa superbè , & insolenter differens , tandem magnitudine munerum æquior factus est, & blanda legatorum oratione delinitus, se pacem seruaturum secundum conuentiones , iurauit. Se quoque omni regione trans Istrum, tanquam Romanorum iuris, ditionísque cedere , neque porrò Imperatori de profugis reddendis molestum futurum, modò Romani in posterum à transfugis admittendis temperarent. Liberauit & Bigilam, numeratis centum aurilibris, quas Bigilæ filius cum legatis in Scythiam veniens, attulerat. Tum & Anatolio , & Nomio gratificans, quàm plurimos captiuos , illis sine vllo pretio concessit. Postremò donatos equis, & ferarum pellibus , quibus Scytharum Reges ad ornatum vtuntur , dimisit. Comitem illis addidit Constantium , vt Imperator re confirmaret , quæ verbis promiserat. Vt legati redierunt, & cum

Attilla, vltro citróque acta, tranſactáque percurrerunt, Conſtantio nuptui datur quondam vxor Armatij, filij Plinthæ, qui apud Romanos exercituum dux fuerat, & Conſulatum inierat. Ille in Lybiam profectus, acie cum Auſorianis decertauerat, & proſperè pugnarat: mox morbo correptus vitam finierat. Eius vxori, forma, genere, & diuitiis conſpicuæ, poſt mariti obitum Imperator, nubere Conſtantio perſuaſerat. Sed ſopitis omnibus ad hunc modum cum Attilla controuerſiis, Theodoſium nouus timor occupauit, ne Zeno tyrannidem inuaderet.

Cùm Attillas, tributum cum Theodoſio conuentum peteret; aut bellum minaretur, & Romani ſe illi per legatos ſatisfacturos reſpondiſſent, miſſus eſt Apollonius. Hic erat frater eius, qui Saturnilli filiam duxerat in vxorem, quam Theodoſius Conſtantio promiſerat, Zeno verò Ruffo collocarat, qui tunc in viuis eſſe deſierat. Itaque Apollonius, Zenonem cognatione contingebat, & Ducis dignitate auctus, legatione functurus ad Attillam miſſus erat. Sed trãſmiſſo Iſtro, minimè aditum ad Attillam

nactus est. Etenim Attillas ira æstuans, quòd sibi tributum, & stipendium à Theodosio, & optimis quibusque rerum Imperatoris studiosis, & cupidis constitutum, non solueretur, legatum minimè admisit, eum à quo missus erat, ludibrio habens. Quo tempore Apollonius, magnanimè viri facinus ausus esse dicitur. Etenim, quamuis Attillas minimè ratam haberet eius legationem, neque sui conueniendi potestatem facere vellet, nihilo secius dona, quæ ad eum ab Imperatore Apollonius attulerat, sibi tradi postulabat, ni daret, mortem illaturum minabatur. Apollonius autem respondit non decere, Scythas in aliqua dubitatione versari, vtrum dona, an exuuias accipiant, cùm ea res esset in eorum arbitrio posita: indicans dona quidem à lubentibus, & volentibus accepturos, si se tanquam legatum admitterent, sin minùs, quæ eriperent, spolia potiùs quàm munera censeri debere.

Martianus Romanorum Orientalium Imperator, ad Genserichum post Romam ab eo, Auito imperante, dirutam legatos misit, qui iuberent ab Italiæ vastitate abstinere, & vxorem Valentinia-

ni, & eius filias in captiuitatem abductas, libertati restituere. Sed legati, re infecta, in Orientem reuersi sunt, neque quicquam eorum, quæ à Martiano imperata fuerant, facere, aut liberare mulieres voluit. Quamobrem Martianus iterum litteras ad Genserichum scripsit, per Bledam legatum. Erat autem Bleda Episcopus hæreseos Genserichi. Vandali enim Christianorum cultum, & religionem amplexi fuerant. Hic vbi ad Genserichum accessit, atque alienum à sua legatione perspexit, in verba superbiora erupit. Non bene cessurum, licèt illi secundæ res animos facerent, si bellum cum Romanorum Imperatore contraheret. Sed neque vlla verborum lenitas, quantumuis à legato vsurpata, neque incussus timor, illum ad vllam animi æquitatem, aut moderationem vt mulieres redderet, pertrahere potuerunt. Bledam enim irrita legatione dimisit, & rursus in Siciliam, & proxima Italiæ loca, exercitum immittens, omnem regionem vastauit. Auitus quoque Romanorum Occidentalium Imperator, ad eum legatos misit, qui monerent, vt fœderum pridem cum illo initorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [170] - 142

meminisset, & vt ea sibi obseruanda statueret, sin minùs, se, & domestico exercitu, & auxiliarijs copijs fretum, bellum apparaturum. Romani in Colchidem profecti, bello aduersus Lazos decertãt, nec multò pòst Romanorum exercitus ad sua redijt. Cùm autem Imperator denuò bellum repetere præpararet, consilium habuit an eadem via insistens, an per Armeniam Persarum ditioni confinem, fide priùs à Parthorum Monarcha accepta, bellum inferret. Etenim cùm Colchidis ora esset importuosa, neque loca vadosa præternauigare posset, mare sibi vndequaque infestum existimabat. Gobases quoque legatos misit ad Parthos, & ad Imperatorem Romanorum. Et Parthorum quidem monarcha, quia bellum illi erat cum Hunnis, quos Cidaritas vocabant, Lazos ad se confugientes reiecit.

Cùm Balamérus Scytha fœdera violaret, & Romanorum regiones depopularetur, & multas vrbes euerteret, Romani ad eum legatos miserunt, qui de pace violata quærerentur. Et vt deinceps à vexanda incursionibus Romanorum regione abstineret, decẽ & nouem

auri libras illi quotannis solui constituerunt. Dicebat enim suæ gentis multitudinem, rerum necessariarum inopia ad bellum insurrexisse. Genserichus, cùm non amplius fœderibus cum Maioriano pactis stare constituisset, Vandalorum, & Mauruſiorum multitudinem ad vastationem Italiæ, & Siciliæ immisit. Marcellinus enim iam antè Insula cesserat, propterea quòd maiorem exercitus sui partem ei Richimerus abduxerat, & militibus eius pecunias largiri, (erant autem ferè omnes Scythæ) quo illis persuaderet à Marcellino deficere, in animo habebat. Itaque Marcellinus Sicilia excesserat, veritus tum insidias, tum ne si cum Richimero certandum illi foret, saluis sibi insulæ opibus, minimè se recipere posset. Missa est igitur ad Genserichũ legatio: tum à Richimero, ne fœdera violaret: tum ab eo, qui apud Romanos in Oriente rerum potiebatur, vt ab Italia, & Sicilia abstineret, & regias mulieres redderet. Genserichus verò multis ad eum ex diuersis partibus legatis missis, non antè mulieres liberauit, quàm maiorem natu sororum Valentiniani, Eudoxiam nomine, Honoricho filio despon-

desponderet. Tunc enim Eudoxiam, Theodosij sororem, remisit cum Placidia altera eius sorore, quam duxit Ollibrius. Neque eò secius Italiam, & Siciliam Genserichus vastare destitit, sed multò magis post mortem Maioriani, cum Ollibrium ad Imperium Occidentis prouehere propter affinitatem ex nuptiis cogitaret.

Sub Leone, Romanorum Imperatore, legatus pro Italis ad Vandalos profectus est Tatianus, in patriciorum numerum conscriptus. Ad Persas verò Cõstantius tertiùm Consul, & vnà cum Consulatu patriciatus dignitatem sortitus. Et Tatianus quidem à Vandalis intra breue tempus, re infecta, reuersus est. Constantius verò Edessæ, quæ vrbs est in Romanorum ditione posita, & Persis contermina substitit, in qua longo tempore commoratus est, cùm eum admittere Parthorum Rex differret. Tandem Parthorum Rex Constantium legatum, qui longo tempore Edessæ substiterat, in suam regionem admisit, & ad se venire iussit. Et Rex quidem tunc temporis minimè in vrbibus, sed in confiniis regionis suæ, & Hunnorum Cida-

ritarum moram trahens, cum Hunnorum Rege bellum gerebat, propterea quòd Hunni minimè tributum inferebant, quod illis olim Persarum, & Parthorum Reges imposuerant. Et Regis Hunnorum pater, tributi illationem renuens, bellum exceperat, quod quidem vnà cum Regno ad filium transmiserat: donec Persis longiori bello defatigatis, venit in mentem, bellum cum Hunnis fraude finire. Itaque Peroses (sic enim Persarum Rex vocabatur) ad Concham, Hunnorum Regem misit, tanquam vellet cum illis pacem firmare, & armorum societatem iungere, & illi suam sororem dare in vxorem. Illa enim erat tum fortè adhuc iunior, neque dum hic liberos vllos sustulerat. Quibus sermonibus cùm Conchas esset assensus, non illi quidem nuptui tradita est Perosis soror, sed alia mulier, regio cultu adornata. Hanc autem Persarum Rex misit, tanquam si nihil eorum, quæ fingebantur, enuntiaret Regiæ fœlicitatis participem futuram: sin minùs, & simulata detegeret, mortis supplicium subituram. Non enim licere Cidaritis imperanti, vxorem habere seruilis conditionis, pro ingenua, & nobili.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [174] - 146

Cùm igitur his conditionibus Perosès pacem cum Hunnorum Rege sanxisset, non illi diu sua fraus vtilitati & fructui fuit. Mulier enim timens, ne si fortè per alios de sua conditione certior fieret, pessima se morte mulctaret, commentum indicauit. Conchas verò mulierem ob veritatem detectam laudans, eam in vxorem habere perstitit, sed dolum sibi factum vlcisci conari, in animo habens, contra finitimos bellum gerere simulauit. In quo sibi viris opus esset, non quidem ad militiam aptis (infinitam enim horum sibi adesse multitudinem) sed his, qui eos in aciem educerent, & bellum administrarent. Perosès verò principes, & ex suis illustriores ad eum misit, quorum alios Cidaritarum Imperator trucidauit, alios truncatos ad Perosem remisit, qui renuntiarent, has illos commissæ ab eo fraudis ergò pœnas luisse. Itaque inter ipsos, multò acrius quàm anteà bellum est excitatum, & omnibus viribus depugnarunt. In Gorga igitur, (hoc enim erat loco nomen, in quo tunc fortè Persæ castra metabantur) Constantium Perosès excepit. Quem postquàm per quosdam dies lautè, festiuiterque

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [175] - 147

tractaſſet, nullo grato, & conſentaneo ad legationem dato reſponſo dimiſit.

Leo Imperator Genſerichum, barbararum gentium ducem, per nuntium de Anthemij Imperio certiorem fecit, eique bellum indixit, niſi Italias, & Reginas liberas dimitteret. Redijt autem nuntius, & retulit, nolle ipſum denuntiationi parere, imò eò magis bellum apparare, quòd iuuenes Romani fœdera tranſgreſsi eſſent.

FINIS LIBRI PRIMI.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [176] - 148

EX HISTORIA MALCHI
DE REBVS BYZANTINIS.

BALAMERVS, multis ſuis facultatibus, à Romanis Ducibus ſpoliatus, non parum iracundiæ, ob illatam iniuriam, animo conſciuit, & à Romanis deficiens, quicquid ante pedes ſuos offendit, vſſit & necauit, & primam, quæ illi obuia fuit, Macedoniæ vrbem Tobos euertit; & milites, qui illic in præſidiis erant interfecit. Vt verò nunciatum eſt barbarum ad Theſſalonicem caſtra habere, ſtatim vrbis incolæ, ex litteris quæ pridiè lectæ fuerant, dolum ſuſpicati, & Zenonem habere in animo, ciues & vrbem barbaro tradere; ſeditione inter ſe laborantes, omnes eius ſtatuas deijciunt, & Præfectum aggreſſi, ad ipſum confodiendum parati erant, & hi quoque in Prætorium ignem intulerunt, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [177] - 149

incendiſſent, niſi ordo ſacra procurantium, & magiſtratus præuenientes, populi iræ Præfectum ſubduxiſſent, & furorem plebis, blandis verbis demulcentes, compeſcuiſſent. Dicebant enim eum non eſſe horum malorum cauſam, neque Imperatorem malè conſultum ciuitati velle, aut illi aduerſa cupere. Oportere ſanè diligentem cuſtodiam ciuitatis agere, eamque committere cui voluerint, & ſibi fidum eſſe cognouerint. Itaque claues ciuitatis à Præfecto acceperunt, & Archiepiſcopo tradiderunt tum ex his opibus, quæ ſibi, tum temporis ſuppetebant, quam diligentiſſimam potuerunt cuſtodiam inſtituerunt & Ducem elegerunt. Intereà Zeno cum audiret imminens periculum, & videret malorum mediocrium optimum eſſe, quandoquidem nemo pugnare volebat, conditionibus fœderum barbarum ab vrbium ruinis & excidiis auertere, Artemidorum mittit, vnà quoque Phocam. Is Zenonis, cum Dux erat, ſcriba fuerat. Hi progreſſi tali ſunt oratione vſi. Te Imperator, amicum conciliauit, & dignitatibus, quæ ſunt apud Romanos clariſſimæ, magnificè

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [178] - 150

ornauit, etiam imperare maximis exercitibus dedit, tibi homini, licet barbaro, minimè diffidens. Tu verò neſcimus quomodo, communium inimicorum fraude & dolo inductus, in diſcrimen te fortunáſque tuas conieciſti & eas alteri, tanquam earum dominum & authorem non noſſes, acceptas retuliſti. Et verò haud quaquam iuſtus fueris, ſi Imperatori ſuccenſeas, & imputes ea, quæ in te ipſum, & in illum deliquiſti. Nunc igitur quoniam eò te redegiſti, hoc tibi quantum ad præſentem fortunam reliqui eſt, vt ab iniuria, & damnis, vrbibus & gentibus inferendis, quantum in te erit temperes, & legationem mittas, qua apud Imperatorem, qui bonus eſt, moderatum quid & æquum obtinere coneris. Ille verò perſuaſus, viros quoſdam, vnà cum ipſis, Byzantium mittit. Et quidem exercitum ſuum, vrere & occidere homines vetuit. Nec enim ſuos, cum omnium rerum eſſent egeni, quominus res neceſſarias, ſibi compararent, prohibere potuiſſet. Hinc mouens, ad Heracleam Macedoniæ peruenit. Huius vrbis Archiepiſcopus, cum quamplurima, & diuerſi generis munera, ad

eum, & eius exercitum misisset, omnem regionem à direptione illæsam conseruauit, neque quicquam molestiæ exhibens, locorum incolis, suas copias iussit, erga eos, qui in his partibus habitabant, moderatè, & temperanter se gerere. Legati autem ab eo missi, simul atque Byzantium accesserunt, Imperatorem monuerunt, oportere quàm celerrimè fieri posset, legatum mitteret, qui omnibus de rebus, cum Theodoricho cõmunicaret. Nec enim in eius potestate esse, longo tempore, tantam militum turbam, à damnis pro libidine inferendis continere. Quamobrem Imperator misit Adamantium Viuiani filium, patricium & vrbi Expræfectum, quem etiam dignitate Consulari auxit, iussitque regionem in Pantalia assignare, quæ Illiricæ partis est prouincia non longo interuallo distans ab ingressu Thraciæ. Quod eo consilio faciebat, vt si quà Theodorichus Triarij se commouere susciperet, Balamerum aduersarium sibi proximè imminere sciret, atque etiam si Balamerus conuenta violare & pacem turbare vellet, cum in medio duorum exercituum, Illyrici & Thraciæ

degeret, eum facilius opprimere posset. Quod si hoc anno exercitum suum inopia laboraturum Balamerus diceret, propterea quod nullum semen terris mandatum esset, neque vllam spem percipiendorum in Pantalia fructuum haberet, dedit Adamantio proficiscenti ducentas auri libras, quas iussit regionis illius Præfecto tradere, vt eas, ad conuehendos in Pantaliam commeatus, qui illis alendis satis essent, impenderet. Cum legatus adhuc esset Byzantij, milites qui Thessalonice in præsidiis erant, Iohannem Præfectum, quà exiret obseruantes siccis appetierunt. Huic negotio finem imposuit Adamantius ex prescripto Zenonis & hæc pacauit. Dum hæc Thessalonice gerebantur Balamerus, circa Heracleam, in Epirum, ad Sidimuntum mittit. Is, ex eadem tribu, & eodem genere & maioribus ortus, tunc temporis, credebatur benè sentire de rebus Romanis & Romanorum amicus esse. Etenim regionem circà Epidamnum, incolebat, quæ illi, ex hæreditate opulenta obuenerat, & sub Imperatore, stipendia merebat. Erat hic Nepos Audingi, qui valdè familiariter Gerene vtebatur, &

eos qui domeſtici vocantur, regebat, quæ dignitas, magnam habet in regia authoritatem. Ad hunc igitur miſit, antiquam cognationem in memoriam reuocabat, & orabat, vt viam reperiret & efficeret, qua Epidamno & reliquæ Epiri dominatu potiretur, vbi poſt tot errores, quibus agitatus ad hoc vſque tempus fuerat, conſiſtere poſſet, & ſuis rebus, vrbe & mœnibus firmatis, caſus quos fortuna daret, expectaret. Vt Sidimuntus hæc à Balamero accepit, barbarus barbaro, proximè habitare, quàm Romanis, ſatius eſſe duxit. Itaque Epidamnum venit, & priuatim vnum quemque ciuium circumiens, tanquàm pridem erga ipſos beneuolus, conſilium dedit, vt omnia quæcumque, vnuſquiſque eorum in bonis habebat, exportaret, & ſe, ſuáque omnia ſalua & incolumia, in inſulas, aut in aliquam aliam vrbem conferret Barbarum enim, quamprimum Epidamnum inuaſurum: ſic enim Imperatorem decreuiſſe, qui ad eam rem exequendam Adamantium miſerit. Is adhuc, commodum, abeſt. Itaque melius eſſe per ocium, dum tempus datur, vt rebus ſuis proſpiciant. Erant

quoque in ea vrbe, in præsidiis, militum duo milia, numerus, qui barbarum, etiam ex improuisò, vrbem aggredientem repellere potuisset. Hi quoque sunt persuasi. Denique dicendo, & terrorem inijciendo, & quotidiè nouos rumores spargendo, hostes qui vrbem occuparent adesse, perfecit, vt vrbem Epidamnum, desertam relinquere, omnibus persuaserit. Aiebat enim, eò magis Imperatoris voluntati aduersaturos, quanto magis, his quæ proponebat, repugnare conarentur. Mox quò celerius Balamerus introduceretur, ad eum misit: is circà Heracleam confederat, & quid sibi nuntij à Sindimuntho veniret, expectabat. Suæ autem moræ, causam palàm, in sororem, quæ morbo laborabat, conferebat, & in legatum, quem ad eum Zeno miserat, quia ex eo, quo animo in se esset Imperator, intelligere cupiebat. Nec multò post, cum sororem suam mortuam efferret, à Sindimuntho occurrit, qui eum ab Heracleotis, accerseret. At Heracleotæ, vrbem reliquerant, & se in arcem validam & munitissimam receperant. Ad hos Balamerus misit, qui peterent, magnam quandam frumenti quantitatem,

& vini, vt discedens, viaticum quod alendo exercitui sufficeret, haberet. Illi autem responderunt, nihil sibi restare commeatuum, quos largiri possent: etenim quos habuissent, tot diebus, etiamsi paucorum militum custodia fuisset, consumsisse. Ille in iram exarsit, & vrbis quæ ab hominibus vacua & deserta permansérat, quamplurima loca incendit & confestim obsidionem soluit, & motis castris, via, quæ ardua & angusta, ad nouam Epirum ducebat, perrexit. Tum equites præmittit, qui per loca prærupta, exercitum anteuerterent, vt cum nemo suspicari posset, eos per ea loca progressuros, præsidia, si qua essent, impetu derepente facto, conferti depellerent. Qui pro mœnibus vrbis præsidia agebant, vt multitudinem hostium conspexerunt, subito casu perterriti, neque aliò se conferre sustinuerunt, neque illis, tantum animi & prudentiæ fuit, vt se in propugnaculum reciperent, sed fugam arripuerunt, neque præ pauore, ad quicquam ex tempore quod illis vtile esset aduerterunt. Hostes autē, per loca hominibus vacua & deserta progrediebantur

Theodoricus erat in capite. Ioas à Theodoricho ſecundum in exercitu gradum tenebat, & medium agmen ducebat. Theudemundus alter, ex Balameri filiis extremum. Theodorichus valde audax & confidens, vt neminem, qui ſibi reſiſteret, ſe ſubſequi vidit, eos qui apud currus, & cetera impedimenta erant, procedere iuſſit. Ipſe præibat, vt quamcumque poſſet, vrbem præueniendo caperet. Ad Lignedum accedens eſt repulſus. Erat enim arduo & difficili loco ſita & fontium ſcaturigine plena, & conuecto frumento abundabat. Hinc mouens, Carpiam, quam iamdudum incolæ, deſertam reliquerant diruit & ab eius excidio, impetu facto Epidamnũ occupat. Quod vbi cognouit Adamantius, mittit vnum ex equitibus Imperatoris qui cum eo expoſtularet, quod contrà id quod legationi reſpondens prómiſerat, faceret, & iuberet ab incepto deſiſtere, neque naues ſumere, aut quicquam aliud nouarum rerum tentare, donec aduentaret. Et quò liberè, & ſine vllo metu eum rurſus adire poſſet, quia iam legationis munere functus eſſet, ad eum virum mitteret, qui illi ſecuritatis fidem, in omnem

cauſam præſtaret. Hæc cum ad eũ Adamantius mandata dediſſet Theſſalonica profectus eſt & Edeſsã venit & vnà cũ eo Philoxenus. Erat Edeſſæ Sabinianus, cui litteras Imperatoris reddiderunt & Ducem declararunt cæteráque omnia bene & ordine adminiſtrarunt. Sed in barbaros recedentes proſilire minime è re aut tutum viſum eſt. Sabiniano enim pauci milites, hique mercenarij ex eius domeſticis & familiaribus aderant. Nam qui publicè merebant, & ordinariis legionibus adſcripti, ſtipendia faciebant, cum per vrbes diſperſi, tum Eunulfum ſecuti, abierant. Itaque viſum eſt Edicta, quibus milites, vndique euocarentur, proponere & Ducem legatum, qui ea promulgaret, præmittere. Iam eques ab Adamantio miſſus, reuerſus, vnà ſecum adducens, barbarorũ ſacerdotem, quem Chriſtiani, preſbyterum vocant, qui tutò Adamantium ad barbarum accedere, fide ſua iuberet, aduenerat. Itaque Sabinianus & Adamantius vna ſecũ cum ducentis profecti Lignedum veniunt. Erat hæc vrbs iam ab antiquo opulenta, & diuitiis abundans: cuius tam magiſtratus, quàm alij obuiam illis prodierunt, & eos

in eam introduxerunt. Hic Adamantius denuò Epidamnum mittit, iussitque vt Theodorichus ad se, circà Lignedum, cum paucis, veniret, se velle, cum eo, de rebus de quibus ad eum miserat colloqui. aut si illi videretur, Epidamnum accessurum, modò Zoamipsius Ducem, & Dasitheum, obsides Lignedum mitteret, qui illîc adseruarentur, dum saluus, & incolumis remitteretur. Hos quidem barbarus mittit, sed iussit, vt quâ iter se flecteret, antè gradum sisterent, & hominem ad Sabinianum, præmitterent, qui Sabinianum iureiurando adigeret, si saluus & incolumis Adamantius rediret, se quoque saluos & incolumes obsides dimissurum. Sed Sabinianus negauit se iuraturum. Nec enim vlla de re, antea se iurasse, neque opinionem apud animum suum, à tam longo tempore, inueteratam & cõfirmatam depositurum. Cum Adamantius diceret necesse esse, tempori cedere, aut infecta legatione discedere. Nec enim se profecturum nisi prius aliquod vitæ & salutis suæ pignus accepisset non ideò Sabinianus est persuasus. Et illum quidem ait scire quid sibi facto opus sit. Sed quantum ad se, ni-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [187] - 159

hil quicquam contra legem quam colat commissurum. Hic cum Adamantio, in dubio hęreret animus, assumptis ducentis militibus, per ripas inaccessas, & viam multis incognitam, neque antea initam, & quæ tunc primum equites admisisse dicitur, sub vesperam profectus circumeundo per anfractus, peruenit ad Castrum Epidamno proximum, in prærupto tumulo situm, cui suberat fossa profunda, in quam fluuius vorticosus influebat. Illuc Balamerum accersit, & ille quidem obtemperans venit, relictoque longe à tergo cetero exercitu, cum paucis equitibus, ad fluuium accessit. Adamantius autem ne vlla obsidio tentaretur, vndique in orbem milites collocauit, & descendens in petram, vnde exaudiri posset, & iubens barbarum omnes alios dimittere, solus cum solo, est collocutus. Hic cum Theodoricus constitisset Romanos, & iure vt videbatur accusat. Ego quidem, inquiens, extrà omnem Thraciam longè Scythiam versus, vitam transigere constitueram. Hic mihi manenti & Imperatori, in omnibus obtemperare parato, minime cuiquam molestus esse in mentem veniebat. Vos me ad

bellum

bellum contra Theuderichum euocaſtis, Thraciæ Ducem, cum exercitu mihi præſto futurum promiſiſtis. Is nullibi gẽtium apparuit. Deinde Claudium Gothicarum copiarum Præfectum, cum extero milite, aduenturum, quem quoque nuſquam vidi. Tertiò mihi viarum duces dediſtis, qui tutis, facilibus & expeditis omiſſis, per eas quæ ad hoſtem ferebant, per prærupta & præcipitia in vtramque partem æquè propendentia deduxerũt. Hac vt parum proceſſi cum equitibus, & mulis, & curribus, & alio conuenienti, caſtrorum apparatu, in me hoſtes de repente irruerunt, quo me totamque eam multitudinem, quæ mecum erat, ad vnũ interficerent & perderent. Ex quo neceſſariam cum illis pactionem facereſum coactus, quibus magnam gratiam habere oportet, quod me, à vobis proditum, cum occidere poſſent, tamen ſeruarunt. Ad hæc Adamantius animum eius ad memoriam reuocauit, vt illum Imperator honoribus afficiſſet, vt patricium & Ducem creaſſet, quæ eſſent apud Romanos præmia his qui ſtrenuam reip. nauauerant operam conſtituta amplißima, vt eum multis donis & mune-

ribus cumulaſſet pro quibus decuerat Imperatorem, haud ſecus, quàm patrem colere & reuereri. Cæterũ ea de quibus Imperatorem inſimulabat (& erant opinor vera) diluere & refutare conatus eſt. Sane minimè toleranda commiſiſſe, qui dum motus legatione ſedari ſpes erat, quæ Romani imperij ſunt inuaſerit, & occuparit. Et verò tametſi copiæ eius in Thracia montibus & fluuiis incluſæ & militum manu ſeptæ tenerentur, tamen liberè exire Romani conceſſerunt. Etenim ſi noluiſſent & reſtitiſſent, etiam ſi eius copiæ, decies numero ſuperaſſent, eas quas nunc habet, nunquam tamen indepedem referre potuiſſent. Nunc illi conſulere, vt ſe ſummiſſius, erga Imperatorem gerat. Nec enim tandem in eius poteſtate fore, Romanorum, qui illi vndique imminent, manus effugere. Oportere igitur, ſi ſe audiet, vt vrbibus, quæ illic ſunt cedat. Nec enim vllo modo ferendum tam magnas vrbes, tametſi habitatoribus vacuas, eum tenere, & ſibi ſubiectas poſſidere. Abeat igitur in Dardaniam, vbi regio eſt, præter eã quæ habitatur, ampla; amœna & fertilis, quæ incolis indiget, quam ſi colat, poteſt cũ

omnium rerum abundantia, exercitum ſuum alere & ſuſtentare. Theodoricus iureiurando affirmauit, id quidem ſibi cordi eſſe: Sed vereri vt ſuus exercitus, qui tot mala perpeſſus, vix nunc quiete fruitur, eo adduci poſſit. Fieri enim non poteſt, vt milites, nondum à laboribus reſpirantes, tantum itineris ingredi ſuſcipiant. Sed oportere ipſos ſinere, in his locis hiemem traducere, ea conditione, vt non vltrà, in tentandis vrbibus, aliis quàm quas habent, aut populationibus faciendis progrediantur. Hæc poſtquã cũ eis egerit, & Imperator, ineunte vere, qui eos in Dardaniam deducat, miſerit, vnâ cum his, qui ſe ſequuntur, ad iter ſe accinget. Addidit ſe omnem ſuum apparatum bellicum, & omnem inermem, & imbellem turbam, ſi Imperatori videbitur, paratum eſſe, in ea vrbe quam præſcripſerit, deponere. Quin & matrem quoque & ſororem, ad fidem confirmãdam eorum quæ proponebat, obſides dare. Hæc autem erant huiuſmodi, ſe Thraciam, cum ſex hominum fortiſſimorum millibus acceſſurum. Cum his & Illiricis militibus, & aliis quos Imperatori placuerit, promittere & ſpon-

dere, tota Thracia, Gothos exterminaturum. Quæ si executus fuerit, petere vt Dux loco Theodorici creetur, & in vrbem admissus, ad eum modum ei, quo reliquis Romanis, in vrbe esse, & in Reip. administratione versari liceat. Imò si Imperator iusserit, paratum esse, & in Dalmatiam ire, vt inde Nepotem expellat, & eijciat. Admamantius respondit, non sibi mandatum quicquam, cum illo paciſci, quandiu in ea regione, commorandum Theuderichus duxerit. Oportere igitur Imperatorem consulere & de his omnibus certiorem facere. Hæc ad illum referet, & in his locis eius de his rebus voluntatem opperietur. Post hæc discesserunt. Interea dum hæc gerebat Adamantius, complures ex ordinibus, in Lichnedum, ad Edictum Ducis conuenerant, & ad officium redierant. Quo tempore nescio quis Sabiniano nuntiauit omnia apud Barbaros esse soluta & periculi securos. fistula canentes à Cãdamia venire. Hos esse magna ex parte, lixas & calones, vasa & currus exercitus comitantes, & cæteros id genus in extremo agmine, inter hos etiã esse & Theudemunthum Theu-

derichi fratrem, & eorum matrem. Spem esse ingentis prædæ. Sabinianus equites quos habebat; certo loco dispositi, & pedites non paucos, per montem, quem circumeundo superarent, immisit, tum quando & vbi apparere oporteret, præmonuit. Vt cœnauit, vna cum manu militum quam assumpsit, sub vesperam mouet, & prima luce, se his qui priores erant profecti, coniungit. Theodemunthus autem, & eius mater, vt in se impetum fieri viderunt, subito per medios hostes in proximum castellum elapsi, fuga salutem quæsierunt. Erat illud castellum in medio itineris, ponte iunctum, cui suberat fossa ingenti profunditate: cuius pontem attollentes, persecutionem in eos, qui cis pontem transmiserant, vanam & infructuosam reliquis suorum à ponte exclusis fugam impeditam, & fugientibus exitiosam reddiderunt. At illi præ desperatione, cũ pauci essent, in Romanos equites irruerunt, sed vbi Romanorum pedites, in capite, ex cõposito apparuerunt, ita hostes terga verterunt, vt partim in equites, partim in armatos inciderint, & interempti sunt. Sabinianus curruum duo, captiuorum plus quam

quinque millia cepit, & non parum prædæ. Curribus tamen aliquot, quos difficile fuisset, & operosum per tot præcipitia, & præruptaloca agere, in monte incensis Lichnedum reuertitur: Hic Adamantium reperit, qui à colloquio cum Theodorico redierat. Nondum enim Theudericus, quæ in monte à Sabiniano gesta erant intellexerat. Captiuorum autem nobiliores custodiæ tradidit, reliquos militibus cum præda cõcessit. Et cùm non multò antè per ciuitates, ad vsum exercitus currus præparare imperasset, vt istis est potitus, vetuit ciuitates amplius de curribus laborare, quia curruum, quoad satis erat, habebat. His ita gestis, scribit Adamantius, Imperatori ut Theudericho promiserat, sermones quos secum habuerat. Scribunt & Sabinianus & Iohannes Præfectus, res à se gestas & omnia in maius extollentes, suadebant pacem cum barbaro, minimè facere. Spem enim esse vi eum regione depellere, aut si manserit delere & conterere. Hæc vbi Imperator resciuit, bellum turpi pace potius ducens, misit qui legatum redire, neque quicquam rei amplius cum barbaro

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [194] - 166

contrahere iuberet. Sed ex se Sabiniano diceret & Gentoni, (is erat vir Gothus, & mulieri Romanæ, in Epiro nupserat, & copias habebat) vt cum omni manu militari, quæ ipsis adesset bellum gererent, nec enim sibi, vlla in re, cum barbaro conuenire. At Adamantius, cõuocatis militibus, eorum fortitudinem laudauit, & vt fortes esse pergerent, vt mos patrius ferebat, hortatus est. Tum Imperatoris mandatum, illis legit, & in magnas spes eos erexit, Imperatotem non permissurum, suam illis fortitudinem & nauitatem, infructuosam esse. Ille quidem bonam famam adeptus, mortuus est nullis partis diuitiis.

Zenone Imperante Marcianus, & alij nonnulli seditionem mouerunt. Vbi ea res ad Theodorichum Triarij est delata, sibi oblatam occasionem vrbis inuadendæ existimans, magnam barbarorum manum, in Imperatoris gratiam coëgit, tanquam propositum illi esset, Imperatorem & vrbem à periculo vindicare & liberare, sed manifestum erat omnibus, qua de causa accurreret. Itaque Imperator, vbi hoc audiuit, ad eum, cum litteris regiis equitem mittit, ani-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [195] - 167

mum & voluntatem erga se laudat, & iubet eum abire, tanquam illo nihil sibi opus esset. Ciuitatem enim vix, à tanto æstu liberatam, si in aliam perturbationem, & suspitionem conijcerent, vulgus ad turbandum procliue, longe perniciosiorem, & maiorem priore excitaret seditionem. Ille verò respondit, se Imperatori obsecuturum, neque tamen posse, exercitum à se collectum, aut eius partem, reducere, nisi paulisper eum reficeret. Etenim in ea erat opinione, vt existimaret, neminem qui resisteret pro mœnibus, quæ nullo propugnaculo, aut turre munita erant, sibi occursurum, & sibi in vrbem ingredienti omnem popularem turbam adhæsuram, propter odium, quo Isauros prosequebatur. Quæ etiam Zeno veritus, mittit Pelagium, cum multis pecuniis, quas partim Theudericho, partim Gothis, in vniuersum erogaret, & alia non parua munera se daturum sponderet. Itaque vt Pelagius venit, partim minis, partim promissis, partim ingētibus pecuniis numeratis hoc hominum genus natura auarum eorum moribus obsecutus à proposito reuocauit & emisit. Ex quo existima-

tus est, nõ paruo metu, ciuitatem leuasse. Nã Theudericho in ciuitatem introducto, nihil aliud quàm bellum intestinum expectare oportebat. Statutum enim apud animum suum Isauri habebant, nisi vi cogerẽtur, haud quaquã vrbe cedere. Itaque contos prægrandes præparauerant, quibus in fastigio, linum cum sulphure alligauerant, & si sibi vis inferretur, multorum auxilio, quos sibi consociauerant, vrbem incendio cremare cõstituerant, & ita Theuderichus discessit.

Quantum ad Procopium & Busalbum sæpius misit, qui eos à Theodorico peterent vt in hoc suam erga se beneuolentiam & obsequium declararet. Sed respondit, se quidem in omnibus dicto audientem fore Imperatori. Tamen nefas esse Gothis, sicut & cæteris mortalibus, supplices & eos qui salutem deprecantur, his qui eos comprehendere & vitam eripere volunt prodere. Eos igitur, vt omitteret orabat præsertim cum nulli, nisi quod viuerent, essent molesti futuri, & illi quidem apud Theuderichũ, quod reliquum vitæ fuit, modicum terræ colentes, transegerunt.

Cum multi vndique tumultus exorti

essent Zenoni homini admodũ ignauo & imbelli, venit in mentẽ ad Vandalum legationem Carthaginem mittere & Seuerum ex Senatu legatum deligit virum qui modestia, & temperantia & iustitia præstare existimabatur : itaque quò dignationem legationi adderet, & eam augustiorem redderet, patricium creauit. Et ille quidem nauigauit. Sed Vandalus, vbi didicit legationem ad se venire, præoccupauit, cum classe traijcere, & Nicopolim cæpit. Seuerus autem legatus, soluens à Sicilia, Carthaginem venit, & magnopere questus est, cum Vandalo, quod classe transmisisset. Ille verò dixit, se hæc, vt hostem feciſſe. Nunc cum de pace, ad eum legatus missus sit, sermonem excipere. Seueri autem vitam, frugi & modestam, admiratus, eius consuetudine & colloquio delectabatur, quippe qui eius iustitiæ, quotidiè periculum faceret, ex quo omnia exequi, quæ proponebat, paratus erat. Maximè illi visus est iustus esse, in eo quod, cum ei barbarus pecunias largiretur & munera legato digna daturus esset, omnia reiecit: Dicens, nullum donum virolegato dignius & cõuenientius, quàm captiuos in libertatem vin-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [198] - 170

dicare. At barbarus homine macte ista pia cogitatione esse iusso & collaudato: Omnes, inquit captiuos, qui mihi & filiis meis sorte obtigerunt, tuæ potestati permitto, reliquos vero, inter exercitum sorte diuisos, per me tibi licet, vt lubet, ab his qui eos possident, si modo consenserint, redimere. Nec enim possem eos quorum dominio cesserunt, ad id inuitos cogere. Itaque Seuerus eos quos Vandalus possidebat, sine pretio, in libertatem restituit, & quascumque habebat pecunias, & vestes & vtensilia, ea publicè per præconem venum exposuit, & captiuos quoscumque potuit redemit.

Zeno Imperator per legatos summum Gothorum Ducem rogauit vt Heracliũ Ducem qui in hostium erat potestate, soluto redemptionis pretio liberaret. Is pro redemptione pollicitus est se daturũ centum talenta. Ea Zeno iussit Heraclio propinquitate coniunctos mutuo dare, ne ab alijs redemptus, serui loco apud eos, haberetur. Missæ sunt igitur pecuniæ Gothis, Thraciam vsque, quas receperunt, & Heraclium è custodia liberum abire siuerunt. In hunc, cum iter

Arcadiopolin tenderet, incurrunt nonnulli Gothi, quorum vnus Heraclio vulnus ad humeros inflixit. Quamobrem aliquis ex his, qui cum Heraclio erant, Gothũ percussit, Et quid tibi visait? satin tu sanæ mentis es? ô homo, neque eum quem vulnerasti, nosti. At Gothus, Equidem probè nosse, eum quem malè perditurus erat. Et simul Gothi enses stringentes, vnus caput, alter manus Heraclio amputauit. Et illi quidem aiunt, ea quæ meruerat repensa. Fertur enim quosdam qui sub eo stipendia faciebant, iudicatos, aliquod facinus, non tamen capite luendum, commisisse, in cauitatem subterraneam coniectos lapidibus ab omni exercitu obrui iussisse, ex eo Dei iram in eum commotam fuisse obseruatum est, etenim in perpetua fuga fuit & errauit, neque vnquam à malis respirare illi datum est, ne quidem apud eos apud quos malorum suorum se consolationem reperturum sperabat.

Præfectus Ægypti, qui vix quinquaginta auri libras mittere solebat, tanquam vberiore solitò, facta prouincia ad quingentas misit. Eodem tempore cum Zeno Imperator, præsentiret Theuderi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [200] - 172

chum Balameri filium, opibus & potentia labi & minui. Contra Theodorichum Triarij delectus ex ſua gente habere & exercitus quos magnos comparauerat, alere, inimicitias æquis conditionibus, ſi conuenire vellet, deponere melius eſſe, exiſtimauit. Itaque per legatos quos miſit petiit, vt filium, conditionum quas iam pridem tulerat, obſidem daret, vt priuatam vitam ageret, & contentus ſuis facultatibus, in quibus maneret, nihil turbarum excitaret. Atque huiuſmodi erant eius tunc temporis poſtulata. Ea omnia quæ rapuerat ſibi haberet, cæterum quieſceret, à nemine mala paſſurus, nemini quoque inferret. At ille ſe quidem filium obſidem daturum reſpondit, ſed non iam ſibi integrum, priuatam vitam agentem, ſolis ſuis opibus, caſus ſuos ſubſtentare. Cum enim ſolus, neque tanta multitudine circumſeptus erat, bona quidem quæ tunc poſſidebat ſi ea diligenti ratione adminiſtraſſet priuato fortaſſe ſuffeciſſent. Nunc quoniam in ea ſe neceſſitate conſtituerunt, vt milites colligeret, neceſſe eſt vt vnà cum ipſis bellum, quo inde ſe alant, faciat, dum periculum adeat, aut

aliis inferat, & finem, qui qualis futurus sit, incertum est, res capiat. Hæc vbi nuntiata sunt, censuit Imperator bellum omni cura & diligentia apparandum. Itaque omnes legiones quæ erant in Ponto & quas ad Asiam & Orientis partes collocarat, quanta potuit celeritate euocauit, & vndique, breui tempore, præsto fuit, non parua multitudo. Cõparabantur currus, qui veherent vtensilia, & boues emebantur, & frumentum, & quæcumque necessaria erant alendo exercitui, ea omnia præparabantur diligenter tanquam Imperator esset intra breue tempus copias educturus.

Cum exercitus eo petulantiæ deuenisset, vt sine vllo ordine, sine certo Imperio, esset, Zeno Martianum qui hæc corrigeret ei præposuit. Tum ad Theodoricum Balameri filium, viros mittit qui dicerent, non iam amplius oportere differre pugnam, sed tẽpus esse prælio decertare, & expectationem, quam excitasset, cum Ducis Romanorum dignitate decoratus fuit, explere.

His cognitis Balameri filius, mittit quoque Byzantium, legatos, qui dicerent, illum non prius id operis aggressurum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [202] - 174

quàm Imperator & Senatus, iuramento fidem dediſſent, nunquam ſe reconciliaturos iri, cum Triario. Itaque Senatores & Duces, Sacramẽta dixerunt, nũquam, in gratiam cum Triario, niſi Imperator voluerit, redituros. Et Imperator, ſe nunquam à Conuentis receſſurum, niſi prius ea Balamerus eſſet tranſgreſſus. His iuramentis præſtitis, placuit Theodoricum, mouere, cum omnibus copiis, quas ad Martianopolim, in caſtris habebat, & vlterius progredi. Vbi ad portas Hæmi montis peruenisſet, Thraciæ Ducem, cum duobus equitum millibus, & decemmillibus grauis armaturæ, occurrere & ſe illi coniungere. Hæmo tranſgreſſo, alias illi copias, ab Septemtrione & Adrianopoli, obuiam ire, peditum viginti; equitum ſex millia. Cæterum Heracleæ & in aliis ciuitatibus, & locis munitis, circà Byzantium, dicebant eſſe alias legiones, & quamplurimos milites, in præſidiis, qui ſi opus foret, ſubſidio venirent. Itaque res gerere maturarent, & ſperarent, nihil illis quod ad res commodè adminiſtrandas faceret, defuturum.

Hæc Zeno promittens legatis, ſtatim

eos dimisit. Itaque Theodoricus mouẽs, cum suo exercitu, vt conuenerat, ad portas Hæmi montis venit. Cum illuc accessisset, neq; Dux Thraciæ obuius fuit, neque hi qui à Septentrione venturi dicebantur. Intereà percurrens deserta, quæ in medio erant, ad loca circa Sondin peruenit. Est autem Sondis, mõs altus & præruptus, qui ascendi minimè potest, si quis sit qui ex alto impediat. In eo Triarius castra posuerat, illi leuibus præliis inter se cum pabulatum ibant, congredientes, armenta, equos & aliam prædã mutuò sibi eripiebãt. Sed Triarius crebrò obequitãs, circà castra Balameri exercitũ cõtumelioſe eum appellabat, & multa conuitia illi faciebat, periurũ eum vocans, puerum, dementem, & sui generis hostem & proditorem, qui Romanorum mentem non nosset, neq; quo tenderent eorum consilia, videret: etenim volunt sedentes & ocioſi, efficere, vt Gothi per Gothos deleantur, & conficiantur, quo sine vllo labore, vtri nostrum ceciderimus, victores existant. Quicumque nostrum alios oppresserint,

rint, hanc ſolam victoriam, vt paucis verbis dicam, ex ſua victoria reportant, vt nos viribus attritos, Romanorum aggreſſioni obijciant. Nunc poſtquam te accerſierunt, & iuſſerunt conuenire, vt cum tuo & eorum exercitu, communiter bellum gereretis, neque quiſquam hic adfuit, neque ad vrbes, ſicuti dixerant, occurrerunt, téque ſolum, vt malè perires, & pœnas temeritatis tuæ, his quos prodidiſti dares, reliquerunt. Hæc vbi audierunt, plures ex multitudine quæ cum Theuderico erat, ea quæ dicta erant, æqui boníque conſuluerunt, & aduerſus ſuum Ducem inſurgentes dixerunt, Merito illi conuitia dicere, nec oportere diutius in mutuam perniciem armatos pergere, & nulla habita cognationis ratione, ſe ad eorum cauſam, qui ipſos proderent, adiungere. Poſtridiè iterum aſcendens Theuderichus quendam ceſpitem terræ, ad Balameri exercitum, clamabat. Cur, peſſime, meos cognatos perditum iſti? cur tot mulieres viduas effeciſti? vbinam locorum ſunt eorum viri? quomodo conſumptæ ſunt facultates quas omnes habuerunt, cum do-

mo ad militandum sub te profecti sunt? Vnus quisque eorum, duos aut tres equos habebat, nunc equis destituti pedes incedunt, & te per Thraciam, mancipiorũ instar, sequuntur, quamuis liberi sint, neque deteriore genere, quàm tu, & venerint, vt aurum modio admetiantur. Hæc vbi exercitus Balameri audiuit, tam viri quàm mulieres, eum adierunt, & cum tumultu & vociferatione orauerunt, vt paci studeret. Sin minus, se quod sibi vtile erit amplexuros, & eum deserturos. Ob eam causam mittit ad Theuderichum legatos, & ambo conuenerunt, ad nescio quem fluuium, ab vtraque ripa: Deinde medio interiecto flumine, collocuti conuentiones faciunt, se quoad vtile sibi videbitur minimè bellum inter se gesturos. Hæc vbi vterque iurauit, mittunt legatos Byzantium.

At Zeno exercitu misso facto, mittit ad Theuderichum, vt pacem inter se pro arbitratu facerent. Inter hæc Balameri filius, suas copias conuertens circà Rhodopem venit, quas latè per fertilissima quæque Thraciæ loca, extendens, quicquid manu apprehendi po-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [206] - 178

tuit rapit. Ibi omne agricolarum genus obtriuit, occidens & deſtruens, quæ exportari non poterant. Hæc vbi facta Theuderichus audiuit, ſe quidem lætari dixit, Romanorum amicum, & qui ſe eorum filium diceret, talia perpetrare. Se tamen moleſte ferre, quod videret agricolas, qui nihil commeruerant, ob eorum dementiam, plecti & pœnas dare. Neque Zenonem, aut Verinam, ne tantillum quidem ſe commouere.

Vt verò legati venerunt, pacem fecerunt: Vt tredecim hominum millibus, quos Theuderichus vellet, Imperator ſtipendia, & commeatus præberet: Duabus ſcholis, quibus imperaret præfici: Omnes ſuas facultates, quas prius habuerat, illi reſtitui. Alterum ex duobus exercitibus, qui circà Imperatorem ſunt, accipere, & eaſdem dignitates, quas ſub Baſiliſco obtinuerat, obtinere. De affinibus Baſiliſci ſi mortui ſunt, vt Zeno ait, nihil amplius negotij eſt. Si ſuperſtites ſunt, omnia bona, quæ eorum fuerunt, recuperare, & eam ciuitatem, quam Zeno arbitratus fuerit habitare. Hæc vbi conuenta ſunt, Imperator ab-

rogato Balamero magiſtratu, in eius locum ſuffecit Theuderichum Triarij. Et pecunias miſit, quæ confeſtim debebant diſtribui Gothis.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [208] - 180

EX HISTORIA EIVSDEM MALCHI PHILADELPHENSIS.

SEPTIMO-DECIMO Imperij Leonis Macellianno, cum ingens vndique rerum perturbatio esse videretur, aduenit quidam Arabum Scenitarum, quos vocant Saracenos, sacerdos eorum qui sunt apud eos Christiani: Eius aduētus hæc fuit causa. Cum tempore Theodosij exortum esset inter Persas & Romanos bellum, fœdere rem transegerunt. Eo fœdere cauebatur, ne alterutri admitterent Saracenos qui in eorum fide, & ditione essent, si fortè quis deficiens, res nouas moliri tentaret. Apud Persas erat Amorcesus genere Nocalius, is siue nullo honore apud eos haberetur, siue Romanorum regionem incolere potius duceret. Persidem relinquens, in vicinam Persis Arabiam,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [209] - 181

migrauit. Hinc excurrens, rapinas & cætera hoſtilia exercebat, in Romanorum quidem neminem, ſed in Saracenos, quos paſſim ante pedes ſuos offendebat. Sic potentiam ſuam augens, paulatim creuit, & vnam ex inſulis, quæ Romanis parebant, ſibi abſtulit Iotabem nomine, qua expellens decimarum exactores, ea potitus eſt. Itaque tributa colligens, cum etiam ex proximis vicis multas prædas egiſſet, non paruam pecuniarum ſummam ſibi parauit. Deinde illum cupido inceſſit Romanorum confœderatus, & Saracenorum, qui in Arabia Petræa ſub Romanis degunt, Phylarchus eſſe. Quamobrem ad Leonem Imperatorem mittit, Petrum eius gentis Epiſcopum, qui ſi qua ratione poſſet, Imperatore perſuaſo, hæc impetraret. Vt venit, & cum Imperatore verba fecit, ſermones eius Imperator excipit, & ad ſe accerſitum Amorceſum, vt ſtatim accurreret, perficit. Quæ ſanè inconſultiſſime & valde imprudenter & ſenſit & fecit. Etenim, ſi ipſum Phylarchum creare conſtituiſſet, oportuerat, vt eum è longinquo, ei muneri præficeret. Nam Romanorum Im-

perium, illi ſemper formidini fuiſſet, & ad ſolum nomen Imperatoris, quem cæteris mortalibus potentiorem, & præſtantiorem credidiſſet, quibus libet Romanorum magiſtratibus, ad ſe accedentibus, tremuiſſet & trepidaſſet. At ille hominem per vrbes circumduxit, quas viſurus erat, armis vacuas & delitiis plenas. Hunc vt Byzantium venit, Imperator benignè excipit, & Regiæ menſæ participem effecit. Senatui quoque quem indixit, intereſſe, & illi quod fœdiſſimum Romanorum probrum fuit & dedecus, cathedram iuxta ſe poni, antè omnes patricios iuſſit, quæſito colore quod Chriſtianus fieri perſuaſus eſſet. Poſtremo vbi ab eo dono accepiſſet, propriam imaginem auream, magnificè gemmis exornatam miſſum fecit & in eum etiam omnes qui in Senatum erant adſcripti alia munera conferre iuſſit. Inſulam verò, cuius ſupra mẽtionem fecimus, nõ ſolum eius poteſtati permiſit, vt eam ſine cõtrouerſia poſſideret: ſed & plures alios vicos adiecit. His illum beneficiis ornauit & Phylarchum, vt optauerat, conſtituens, elatum & ſuperbientem, & talem, qui non eſſet collatis be-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [211] - 183

neficiis, moderatè & temperanter vsurus, dimisit.

Leo Imperator misit Logium silentiarium legatum ad barbaros qui in Thracia erant. At barbari lubenti animo legatum exceperunt, & legatos quoque ad Imperatorem, Romanorum amici esse cupientes miserunt, per quos tria ab eo petierunt. Primum Teuderichum eorum ducem, omni hæreditate quam illi reliquerat Aspar, frui: secundum, vt liceret illi in Thracia habitare: tertium, vt & eorum ordinum, quorum Aspar fuerat, Dux esset. Prima duo omnino denegauit Imperator. Solum tertium vt Dux fieret, dum modò, sine fraude eius amicus esset, concessit, & ità legatos dimisit. Sed Theuderichus, Barbarorum Princeps, vbi legatos suos, ab Imperatore, re infecta excepit, suarum copiarum, partem in Philippos campos immisit: cum altera parte, Arcadiopolim omni apparatu oppugnaturus, obsedit. Neque tamen eam armis cœpit, sed fame: eos enim qui intra ciuitatem erant, eò inopiæ & angustiarum redegit, vt equorum, & aliorum animalium, quæ curribus agendis inseruiunt, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [212] - 184

mortuorum cadauerum esu, sese, dum illis, si qua ex parte auxilium aduenirent, tolerauerunt. Quo non aduenientе, in extremam desperationem adducti, deditionem fecerunt. Qui vero missi erant ad Philippos campos, solum, ea quæ circà vrbem erant, combusserant, neque quicquam præterea, atrox aut graue, commiserant. His ita in Thracia grassantibus, nihilo secius, ipsosmet barbaros fames corripuit & vrsit, ita vt legatos, ad Imperatorem mitterent, qui de pace agerent, quæ his conditionibus est facta. Duo millia librarum auri Gothis singulis annis pendi, Theuderichum duorum exercituum, qui maximi sunt, & circà Imperatorem militant, Ducem constitui. In alia ditione, quàm Romana, Gothorum Imperatorem esse, neque quemquam eorum, qui ab eo deficere voluerint, ab Imperatore admitti. Contra quemcumque voluerit Imperator, exceptis Vandalis, à parte Imperatoris pugnare.

Augustus Orestis filius, vt audiuit, Zenonem iterum, Orientis Imperium, expulso Basilisco, recuperasse, Senatum veteris Romæ, legationem ad Zenonem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [213] - 185

mittere coëgit, quæ illi significaret vrbem proprio Imperatore non indigere. Vnum quidem Imperatorem sed communiter illi, vtriusque Imperij fines, tutandos esse: Odoacrum sibi præpositum assumpsisse, idoneum qui saluas res faceret. Ille enim & scientia reipub. administrandæ, & rei militaris peritia præstat. Itaque orare vt illum Zeno patriciatus dignitate ornet, & Italicam dioceſim, regendam committat. Profecti sunt igitur, ex Senatu veteris Romæ, viri, qui hos sermones Bizantium deferrent. Iisdem diebus venerunt, & à Nepote nuntij, qui Zenoni restitutũ imperium gratularentur, & ipsum obtestarentur, cum easdem calamitates, quas Nepos, expertus esset, vt omni opera & studio illũ in recipiẽdo imperio prõpto & alacri animo adiuuaret. Et pecunias & exercitus, & alia quę opus forent, suppeditaret, quo illi reditum, ad pristinam fortunam, elaboraret & conficeret. Hæc qui dicerent Nepos misit. At Zeno, his qui venerant hæc responsa dedit. Et Senatoribus, illos ex duobus qui ab Oriente Imperium susceperant, vnum expulisse, & Anthemium occidisse. Nunc quid sibi facto opus esset illos

dixit perſpicere. Imperatore enim ſuperſtite nõ aliam debere valere ſententiam, quàm illum amplecti, & illi adherere. Ad ea verò quæ barbarus nuntiarat recte & iuſte facturum, ſi à Nepote Imperatore, Odoacer, patriciatus dignitatem ſuſciperet. Eam illi miſſurum, niſi Nepos præuenerit. Hortari, ſimul atque eam adeptus fuerit, vt cultum Romanis conuenientem, aſſumat & vſurpet. Se quoque confidere fore, vt Imperatorem, qui illum hoc honore affecerit, ſi quidem iuſta facere voluerit, obſeruet & colat. Sed tamen in litteris Regiis quibus Odoacro eam dignitatem mittere renuit, eum Patricium nominauit. Quæ Zeno cum Nepoti ſtudebat, ex ſuis, Nepotis malorum commiſeratione duci, & proprio caſu, communi hominum ſorti ingemiſcere edoctus, faciebat. Eo quoque illum impulit Verina, quæ Nepotis vxori, cuius erat conſanguinea, fauebat.

Altero poſt Zenonis reſtitutionem anno, aduenere legati, à Gothis, qui in Thracia conſederant, & fœdere Romanis coniuncti erant, hos fœderatos Romani vocant. Orabant vt reconciliari vellet Theudericho Triarij filio cui nihil

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [215] - 187

esset optatius, quàm tranquillam & quietam vitam ducere neque armis rempubl. vexare. Orabat vt consideraret, quanta mala cum hostis extitisset, Romanorum rebus attulisset, & quot vrbes, Theuderichus Balameri filius, tametsi illi militaret, & amicus esset, euertisset neque tanti apud eum inueteratæ inimicitiæ essent, vt quod ad communem omnium vtilitatem, spectaret, perficere omitteret. Confestim igitur Imperator Senatum conuocauit, & hæc illis proposuit vt sibi consilium darent quid facto opus esset. Senatores verò, dixerunt, reditus publicos minime vtrisque alendis sufficere: collationesquidem & stipendia prompte suppeditari. Sed ex quibus militibus commeatus, sine aliqua diminutione, præstare non possumus. Cum quo vero, ex duobus, præstat amicitiam instituere, id in solius Imperatoris arbitrio consistere. In aulam quoque congregans milites, & omnes scholas, ascenso suggestu, multa de Theodoricho questus est, maximè quod à maioribus Romanorum hostis extitisset, quod Thraciæ habitatores deprædatus fuisset, quod omnibus, qui currus age-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [216] - 188

bant, manus amputaſſet, quod omne agricolarum genus funditus ſuſtuliſſet, quod Baſiliſci tirannidem, in remp. inuexiſſet & excitaſſet. Quod militibus, vt à ſe deficerent, & diſcederent, tanquam ſoli Gothi ſufficerent, perſuaſiſſet. Et nunc legatos ad ſe mittere, non tam vt pacem, quam vt exercitus ductum poſtulet. Nunc igitur quam ſententiam ſuper his dicturi eſtis, audire cupiens, vos huc conuocaui: Scio enim eos demum Imperatores, tutò ſuas res agere, qui ſua conſilia cum exercitibus communicant. At illi, accuſationibus quas in Theuderichum Imperator intẽderat auditis, ſatis ex ipſa accuſatione, quid ſibi reſpondendum eſſet percipientes, acclamauerunt omnes, Romanorum hoſtem eſſe Theuderichum, & omnes qui illi fauerent, & ad eius cauſam ſe adiungerent. Et hanc quidem reſpõſionem Zeno non è veſtigio legatis dedit ſed ſuſtinuit donec exploratius quomodo ſe haberent, ea quæ foris gerebantur, ſciret. Interea comprehenſi ſunt, qui ea, quæ in vrbe facta erant, ad Theuderichum ſcripſerant, Anthimus medicus, Marcellinus, & Stephanus, & non ſolùm ſuas ipſorum litte-

ras, sed etiam quorumdam qui in exercitu dignitatibus erãt ornati supposititias, ad eum miserunt, quibus iubebant, illum bono animo esse, tanquam multos, suarum partium, fautores intra vrbem esset habiturus. Tres ex Senatu præsente magistro, de his quæstionem habuerunt, quos multis illatis plagis perpetuo exilio condemnarunt. Iam pridem enim Zeno abstinere condemnatione mortis, & cædibus videri volebat. Eodem quoque anno, legati à Carthagine Byzãtium venerũt, quos Alexander vxoris Alliarij, procurator ducebat, qui iam olim à Zenone, Placidia consentiente, eò missus fuerat. Dicebant vero legati, Honorichum, velle cũ Imperatore, sine fraude, amicitiam contrahere. Quæ anteà repetebat, de reditibus, & pecuniis vxoris suæ, & Leo acceperat, omnia à mercatoribus per bellum, quod nuper fuerat, rapta & ablata, & in vniuersum ea de quibuscunque pater eius Romanis faciebat controuersiam, remittere & condonare. Firmam & stabilem pacem petere, neque quicquam suspicionis, Romanis deinceps relinquere statuisse, se non sincerè & sine fuco, fidem suam, ad ea quæ proposuit,

obſeruanda obſtringere: Multam quoque gratiam habere Imperatori, quod Ollybrij vxorem honore affecerit quæ quia intellexit, adduci, vt omnia quę Imperator voluerit, facere paratus ſit. Neq; verò iſta, quæ in ſpeciem dici videbãtur, quia magnam belli ſuſpicionem dederat, à veriſimilitudine abhorrebant. Etenim à morte Gẽſerichi in omnem mollitiem deuenerãt, neque amplius ſollicitudini, aut timori Romæ erant, neque exercitus alere cõtinuarant, quos Genſerichus ad omnes occaſiones inſtructos habebat, vt ſemper celeritate exequendi, aliorũ conſilia præueniret, & anteuerteret. Legatos Zeno liberaliter excepit, & honore debito eſt proſecutus, & muneribus, pro merito, ornatos dimiſit, & Alexandrum comitem priuatarum rerum fecit.

Theuderichus Triarij & Gothi, & Theuderichus Balameri fœdere caeuerunt, ne inter ſe bellum gererent, & legatos Byzantium mittunt. Balamerus Imperatorem accuſabat, quod ſe prodiderat, & quia nihil fidei ineſſe his quæ promiſerat, repererat, id cauſæ fuiſſe, vt cum Theudericho conueniret. Petere regionem ſibi, in qua commoretur, dari, &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [219] - 191

frumentum ſuppeditari, quod alendo exercitui, vſque ad meſſem ſatis eſſet. Vt etiam redituum Imperij coactores, quos domeſticos Romani vocant, quam primum mittat, qui ad rationem eorũ quæ receperint eis neceſſaria ſuppeditent. Ni ea Romani fecerint, in ſua poteſtate non eſſe, tam magnam turbam continere, quin rapinas & prædas agant, ex quibus ſuam inopiam poſſint ſubleuare. Alter Theuderichus Triarij poſtulabat, omnia ſibi à Leone promiſſa repræſentari, & præteritorum annorum ſtipendia accipere. Suos affines ſuperſtites ſibi reddi. De his qui mortem oppetierunt, Illum & ex Iſauris alios, quorum curæ & cuſtodiæ commiſſi fuerant, iurare. Hæc vbi Zeno audiuit Balamero reſponſum dedit, eum eſſe proditorem, qui omnia, contra quàm promiſerat, feciſſet. Qui cum ſe ſolum bellum geſturum fidem dediſſet, aliundè auxilia ſibi accerciſſet: Et cum Romanorum copias quæ ſuppetias ferrent acciuiſſet, clàm, & illis inſciis, cum Theudericho amicitiam contraxiſſet. Quæ cum Dux Thraciæ, & alij quicumque à Romanorum partibus ſtabant,

ſtabant viderent, veriti inſidias, neque ad illum accedere, aut ſuas copias, eius copiis coniungere, auſi ſunt. Nunc ſi velit cum Theodoricho bellum facere, ſe polliceri hæc, ſi victoriam reportarit, illi daturum: Auri mille, argenti decem mille, libras, & reditum decem millium aureorum numiſmatum, & nuptam illi collocaturum, Olybrij filiam, aut aliam ex illuſtrioribus mulieribus ciuitatis. Hæc dicens ad ſe miſſos tametſi dignitatibus ornati eſſent, aſpernatus eſt, & legatos miſit primum quidem Philoxenum, deinde etiam Iulianum, ſi qua ratione poſſent eum adducere, vt pugnaret cum Triario. Cum nullo modò perſuaderi poſſe vidit, euocatis militibus bellum ſuſcepit, quos hortatus eſt, vt bono animo eſſent. Se enim communiter, cum illis, belli pericula vbi opus fuerit, aditurum. Hæc cum milites audiiſſent, Imperatorem huic bello intereſſe ſtatuiſſe, ita ſe ad hoc compararunt, vt talem ſe, vnuſquiſque oſtendere ſtuderet, quem Imperator merito ſuo, plurimi faceret. Et tam ardentibus animis ad pugnandum profecti ſunt, vt

quiantea, militiæ vacationem à Ducibus pecunia impetrabant, pecunias, quò ſibi in hoſtes exeundi poteſtatem facerent, numerarent. Itaque & exploratores, à Theodoricho præmiſſos, viuos ceperunt, & cohortem quæ Balameri cuſtodiam agebat, & vt longis muris, præſidio eſſet, acceſſerat, opportunè depulerunt. Sed non multo tempore res ſteterunt, quin Zeno, ad priſtinam naturam rediret, & ad inſitam ánimi imbecillitatem, delaberetur. Ex quo milites indignati, per turbas coëuntes, ſe ſe inuicem ignauiæ accuſabant, quod arma habentes, & præ manibus geſtantes, tantæ molitiei, quæ omnes ciuitates, & omnes Romanorum vires peſſumdabat, obſequi ſuſtinerent. Hunc motum, cum Martianus intellexiſſet, ad Zenonem mittit ſuadens oportere, quàm citiſſimè fieri poſſet, exercitum, ne quid nouarum rerum moliretur, ſoluere. Ad quem Zeno remiſit, & iuſſit, vt vnus quiſque militum, tanquam cum Theodoricho pax eſſet, in hiberna concederet. Itaque caſtra ſoluerunt, quam caſtrorum ſolutionem, complures iniquo animo ferentes,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [222] - 194

abierunt: maxime quod eos discedere contingeret, antequàm virum cernerent, qui res administrare, & rempubl. quoad eius esset, ab euersione & interitu vindicare posset.

FINIS HISTORIÆ MALCHI.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [223] - 195

EX HISTORIA MENANDRI

DE ABARIS.

CVM diu multumque huc illuc diuagati aberrassent, tandem ad Alanos accesserunt, & Saragosium eorum Ducem supplici-ter orarunt, vt per eum in notitiam & amicitiam Romanorum venirent. Id Iustino Germani filio, qui tunc temporis militibus, qui Lazice in præsidiis erant præerat, nuntiauit, & Iustinus ad Iustinianum retulit, qui illi mandauit, vt eius gentis legatos ad se Byzantium transmitteret. Electus verò fuit ab ea gente quidam Candich nomine, qui cum primus legatus ad Imperatorem venisset, dixit: Adesse gentem omnium fortissimam & populosissimam quę se illi traderet, Abaros scilicet, genus hominum inuictum, & inexpugnabile, qui eius omnes hostes

repellere & funditus extinguere posſent. Illius rationibus valdè conducere, cum eis armorum ſocietatem facere, & auxiliarios optimos ſibi habere & adciſcere, qui tamen non alia conditione erga rempubl. Romanam beneuolo futuri erant animo, quàm ſi donis pretioſis, annuis etiam penſionibus & fertili regione, quam inhabitarent, donarentur. Hæc Candich Imperatori. Erat ea tempeſtate Imperator effœto corpore: non eadem illi vis animi, qua florebat, cum iuuenis adhuc Gilimerem Vandalum, & Vuittigem Gothum captiuos fecit. Itaque iam ſenex exacta ætate cum animi robur & belli appetentem virtutem deſidia & ocio commutaſſet, barbarorum exercitum, non quidem bello, etiamſi decertaret, eum penitus deleret, ſed prudentia & conſilio priuſquam ipſe debito fine extingueretur, propulſare cogitabat. Et cum diu ſuperſtes eſſe non poſſet (etenim non multo poſt hinc migrauit) ſocietatem facere curauit. De ea re Imperator concionem apud Senatum habuit, qui eius prudentiam & in rebus gerendis conſilij vim & acerrimum iudicium valde collau-

dauit. Hoc facto ſtatim Imperator dona ad legatos miſit, cathenas auro variegatas, & lectos, & ſericas veſtes, & alia quam plurima quibus leniret & demulceret animos ſuperbiæ & inſolentiæ plenos. Miſit quoque legatum Valentinum (is erat vnus ex Imperatoriis ſatellitibus) cui præcepit, vt gentem Romanis ſocietate coniungeret, & efficeret, vt ſuos inimicos bello aggrederentur. Sic enim valde prudenter opinor Imperator ſentiebat, ſiue Abari vincerent, ſiue vincerentur, in vtramque partem, & vt res cecidiſſet ea quæ euenirent ſuo commodo ceſſura. Cum igitur Valentinus ad eos profectus eſſet & munera præbuiſſet, & mandata Imperatoris expoſuiſſet, primum quidem Ongoros Eitaſalos Hunnicam gentem debellarunt & Sabiros euerterunt. Cum autem eorum Duces parum proſperè res geſſiſſent & contra eorum ſpem concidiſſent, confeſtim Abari hoſtium terram vaſtarunt, & regionem ſunt depopulati. Hi vero inimicorum excurſionibus vexati ad Abaros legationem miſerunt, ad quam Mezamirum Idariſij filium, Calagaſti fra-

trem ſuffragio elegerunt, quî cum etiam precibus egerunt, vt captiuorum aliquos ex eorum tribu redimeret. Mezamirus igitur legatus, vir vanus & magniloquus, vbi ad Abaros peruenit, in verba ſuperbiora & arrogantiora prorupit. Cotragegus autem ille Abarorum perquàm familiaris, & neceſſarius cum Mezamirus inſolentius quàm legatum decebat, eſſet locutus, illis peſſimum conſilium dedit & dixit Cagano: Vir ille, in eo quod faciendum ſuſceperit, magnæ eſt apud ſuas tribus authoritatis, & quantum voluerit, hoſtium poteſt in pugnam educere. Oportet igitur ipſum de medio tollere, deinde intrepidè in regionem inimicam excurſiones facere. Ab illo perſuaſi Abari, tranſgreſſa & ſpreta ea quæ legatis debetur reuerentia, nulla habita iuris religioniſque ratione Mezamirum necant. Et ab eo tempore latius & liberius depopulari vicinorum terram cœperunt, neque captiuos, aut prædas agere ceſſauerunt.

Iuſtinianus legatos ab Abaris ex-

cepit, qui postulabant, vt illis liceret circumspicere terram, in qua eorum gens sedes & domicilia poneret. Et Imperator quidem vt hæc Iustinus duxilli significauit, apud se consultauit an gentem collocaret in ea terra, vbi prius habitabant Eluri (secunda Pannonia vocatur.) Et Imperator, si illis videretur, annuit. Sed Abari Scythia sibi exeundum non censuerunt. Etenim illius desiderio, quoad eius fieri poterat, tenebantur. Hoc igitur non successit. Veruntamen Iustinus legatos misit Byzantium & Imperatori significauit eos iam magna ex parte istam regionem occupasse. Iustinus autem sibi vnicè conciliauerat vnum ex legatis nomine Oeconomum, qui secretò eum monuit, Abaros aliud in ore habere, & aliud sentire. Eos blanda quàm maximè oratione vti, & suæ fraudi obtendere sermones officio plenos & simulare erga Romanos beneuolentiam tantisper dum Istrum traijciant, sed longè aliter, id quod in mente gerunt se habere. Etenim simul atque Istrum transmiserint, nihil quicquam illis esse deli-

beratius, quàm omnibus copijs in bellum erumpere. Quæ cum cognouisset Iustinus eorum omnium Imperatorem certiorem fecit, quò legatos Abarorum Byzantij, quandiu posset retineret. Nec enim Abari Istrum traijcere sustinebunt priusquam legati dimissi sint. Ea cum Iustinus mandaret, non ideo minus curæ, & operæ impendebat, quò Abaros fluuij traiectione prohiberet. Bonum enim mercenariarum & domesticarum copiarum Ducem, fluminis custodiæ præfecerat. At verò Abarorum legati, vbi nihil profecerunt, quantum ad ea quæ ab Imperatore petitum venerant, munera vt consuerum erat acceperunt, nec nõ ea quæ sibi opus erant compararunt, arma etiam emerunt, & ita dimissi sunt. Verum Imperator secretò mandauit Iustino, vt quacũque ratione & via posset, in reditu arma illis eriperet. Itaque Dux cũ legatos exciperet Imperatoris mãdata est executus. Hinc cæperũt inter Romanos & Abaros inimicitię multis antea ex causis accensæ: maximè, quod non statim legati eorum dimissi essent. Præceperat enim Baianus vt quamprimum redirent. Sed Imperator cum sciret quid cogita-

rent, quod præsenti tempore facere potuisset, in aliud distulit, vt tantisper eos in Regia vrbe detineret.

Iustino iuniore imperante Abarorum legati Byzantium venerunt, vt consueta munera acciperent, quæ Iustinianus, qui ante eum imperium tenuerat, conferre erat solitus, armillas auro variegatas eo cõsilio, vt eos à se deficere impediret, lectos & alia quædam opera, venusta ad delicatiorẽ cultum spectantia. Tunc Abari, volũtatis Imperatoris periculum facere statuerũt, siquidẽ ampliora munera caperent quibus per Romanorũ pusillanimitatem sua sibi cõpararent commoda. Itaque Imperatoris adeundi sibi potestatem fieri petierunt, quod illis est permissum, quin & per interpretẽ quicquid libitum esset proponere. Hac vero vsi sunt oratione. Oportet ô Imperator, te qui Imperium paternam creuisti hæreditatem, paternos amicos in tuam fidem tutelámque suscipere & æquè ac ille, eos beneficijs augere, téque in eo maximè patris successorem præbere, si nihil eorum quæ viuus statuit, eo mortuo immutes. Ita fiet vt nos eandem erga te voluntatem cõseruemus, neque minus

in te beneficentiæ nomen transferemus quin te post ipsum authorem nostrarũ fortunarum & benefactorem vocemus & laudemus. Etsanè erubescerem usà te commodis affici, nisi tibi amplissimis beneficijs nos ornanti par pari quoque retribueremus. Sic enim patrem tuum, qui in nos liberalis & munificus fuerat, remunerati sumus. Etenim cum eius regiones vastare in nobis situm esset, non modo non abstinuimus, verùm etiã quo nos propensiores erga ipsum ostenderemus, vicinos barbaros Thraciam inuadentes latè arcuimus & propulsauimus, neque quisquam eorum deinceps est inuentus qui Thraciæ fines populationibus vexaret. Metuebant enim Abarorum potentiam qui amicitiam colebant cum Romanis. Persuasum igitur habemus te, nulla alia in re his quæ à patre statuta sunt contrauenturum, nisi in eo quod nobis maiora largiturus es quã pater sit largitus. Pro quibus & nos multo tibi quam patri deuinctiores erimus, & tibi multo quoque maiores gratias retribuemus. Adsumus igitur qui consueta munera accepimus. Sed scito non aliter fieri posse, vt noster Dux Roma-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [231] - 203

norum reip. ſit amicus quàm ſi tanta præmia ſumat, vt illi mouere contra Romanos arma in mentem non veniat. Hęc Abarorum legati diſſeruerunt, & modò ſe in hanc, modo in aliam partem vertebant: hac præcibus agebant, illa minas ingerebant. Exiſtimabant enim ſe precibus & blanditiis Imperatorem delinituros, & minis perterrefacturos, & ex eo coactos iri Romanos illis quaſi tributarios eſſe.

Verùm enimverò cum Imperator nihil aliud quàm ſui contumeliam & ludibrium continere exiſtimaret, eam quam Abarorum legati habuerãt, orationem: ſic reſpondit: Vos quidem humiles preces magna cum arrogantia in medium profertis & in ſpem adducimini hac ſermonis mixtura, facilius quod concupitis conſequi. Ab vtraque ſpe, vt verum apertè dicam, excidiſtis. Atque ego multo plura vobis tribuã quàm pater meus. Etenim vos ad maiores quàm par eſt, ſpiritus ſublatos ad æquitatem & ſaniora conſilia, vt redeatis, efficiam. Qui enim hominum in exitium voluntarium ruẽtium, turbatos affectus cohibet & obedientes rationi facit, beneficentior eſt

eo, qui sumptus in delicias præbet, & amare videtur, sed minima captata occasione, eum quem beneficio affecit statim perdit & tollit. Abite igitur qui magni pretij rem à nobis obtinetis, quod vobis saluis & incolumibus, licet vitam peragere & pecuniarũ loco, quas à Romanis accipere vultis, nostri timorem & metum ad salutem vestram conuertite & reportate. Neque enim nos vnquã vestro eguimus auxilio, neque quicquã à nobis accipietis, nisi quantum nobis visum fuerit, id que tãquam mercedem & auctoramentũ seruitutis, non quod dã tributi genus, vt vos falsò existimatis. Postquam Imperator tantum sui terrorem legatis Abarorum incussit, & cognouerunt ex his quæ dixerat, minimè eorum superbiam toleraturum, neque quicquam eorum, quæ prius accipere consueuerant, indulturum, aut impunè posthac incursiones in Romanæ ditionis regiones facturos, in magnam animi anxietatem inciderunt, & apud se cogitarunt quo tandem res casuræ essent & quis futurus esset earum exitus. Nec enim apud Imperatorem, quandoquidẽ nihil proficere poterant, manendum

diutius ſtatuebant, neque re infecta diſcedere volebant. Hæc & alia huiuſmodi cogitantibus ex duobus malis minus ſibi eligendum duxerunt. Itaque viſum illis eſt à Romanis diſcedere & ad ſuos contribules ſe recipere. At illi Imperatoris fortitudinem admirati longè ab eo profugientes & terga vertentes in Francorum regionem abierunt. Iuſtino nuntiatum eſt à Perſarum Imperio Zichum legatum vt de Suanis ageret ad ſe venire. Illi quoque in mandatis à Rege datum, vt ſuis verbis ſuam erga Imperatorem beneuolentiam teſtificaretur & ea de quibus Romani quererentur, amicè cõponeret & tranſigeret. Iuſtinus verò cõſilium cepit aut minimè legationem admittere, aut ſi admitteret, Zicho ſignificare nequaquam rem, exitum quem mente & opinione præceperat habituram. Et accedente ſenatus authoritate cenſuit, vt Iohannes per litteras, Zicho, adhuc iter pergenti palam faceret, Imperatorem, in nullo eorum, quæ ſibi opinionis errore fingebat, aſſenſurum. Hoc ita factum eſt & Iohannes Thimotheo, ſimul atque cum eo fuit vt res Perſicas curaret, litteras tradidit. Iuſſerat

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [234] - 206

etiam Imperator Thimotheo vt ad Regem Persarum iret, & ob significationem in se beneuolentiæ, gratias ageret, & litteras Iohãnis eius legato, quem obuiũ in itinere sicut itineris ratio ferebat, habiturus erat, traderet, & minimè Zichus nescius esset, imò planè exploratã perspectámq; Imperatoris volũtatẽ haberet. Hæc vbi Timotheo sunt imperata, ad limites contendit. Illic cum cognouisset, nondum aduentare Persarum legatum, confestim ad Cosroem est profectus. Forte fortuna enim cõtigerat, vt Zichus alia via Nisibim diuerteret, & cum tempus tereret, corpore imbecillius se habere inciperet. Intereà Thimotheus à Persarum Rege dimissus rediens circa Nisibin Zichum adhuc ægrotantem assecutus ei Iohannis litteras tradidit. Is cum intellexisset, rem cuius causa iter susceperat, longe alium exitum, quàm optarat, habituram, neque illi ex voto legationem processuram, animo cecidit, & ex morbo, quo detinebatur, vitam morte commutauit. Nec multo post Iohannem quoque mori euenit. Post hæc Byzantij nuntiatur aduenire alium legatum, qui vocabatur Mebo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [235] - 207

des. Is inflatus opinionibus & ſuperbus in regiam peruenit magnam ſpem habens ſermonem motum iri de Suania, ſéque fœdus, ex Perſarum ſententia facturum. Hac cogitatione elatus dum Byzantium iter habet, arrogãtius, quàm legatum decebat ſe geſſit. Vt venit (Imperator enim hominis arrogantiam & importunitatem, & quorum obtinendorum ſpe viæ ſe dediſſet, iam didicerat) gratulationes à Perſarum rege benigne excepit. Sed Mebodem Imperator contemptui & ludibrio habuit, neque illi vllum familiaritatis ſignum & teſtimonium exhibuit. Sic illi præter ſpem legatio ceſſit, neque vllum omnino verbum Imperator de Suania fecit. Deinde Mebodes magnopere petiit, vt Saracenis qui cum eo erant, Imperatorem adeundi poteſtas eſſet. Erant enim in eius comitatu circiter quadraginta proprio legato parentes. Miſerat autem eam legationem, cum Mebode Ambrus Saracenorum Phylarchus vt de pecuniis quas à Iuſtiniano impetrauerant, diſceptaret. (Itaque cum Mebodes à ſcopo quantum ad Suaniam attine-

attinebat, aberrasset, ne nulla re obtenta discederet, cura omni contendit vt Saracenorum legati aditum ad imperatorem nanciscerentur. De ea re cum Mebodis orationem imperator excepisset: Quid nobis volunt, inquit, Saraceni? Vt instantem vidit, concessit eorum legato, vt solus ad se accederet. Neque enim legatum qui superbior erat, toleraturum existimabat, vt remotis comitibus in Imperatoris conspectum veniret: sed quemadmodum quondam Imperatorem Iustinianum eorum legati suis comitati adiissent, pertinacius in eo perstaret; vt ita fieret, & mos solitus obseruaretur. Qua in re Imperator putauit sibi oblatam occasionem maiestati Imperatoriæ conuenientia & consentanea facere. Sed Saracenus minimè quæ ad decus & honestatem pertinebant cognoscebat. Itaque omnis culpa in barbarum conuersa est, neque aliter res cecidit, quàm suspicatus fuerat Imperator. Etenim Saracenus haud decorum sibi esse existimans solum sine vllo comitatu ad Imperatorem accedere & à more qui iamdudum obtinuerat recedere, non optandum sibi Imperato-

ris aditum reſpuit & renuit. Tunc Imperator valdè deſpexit Saracenum, de quare cum apud Mebodem queſtus eſſet, Perſarum legatus Imperatori dixit. Ego quidem, domine, adſum, haud defenſionem ſuſcepturus Saraceni ſi in aliquo deliquerit: ſed auſcultaturus ſi æquitati congrua & conſentanea propoſuerit, quod non negligam. Sin ſecus Saracenus iure & merito accuſari videbitur, ego ipſum condemnabo. Cui Imperator mordens: Veniſti igitur non legationis munus obiturus, ſed iudicis officio functurus. At Mebodes acerba, & mordaci Imperatoris reſponſione confuſus erubuit vultu. Atque Imperatorem aliter quàm fas erat affatus receſſit. Paucis poſt diebus iterũ Mebodes Imperatorem adijt & ſuppliciter poſtulauit Saracenum ad eum introduci, & Imperatore abnuente: Minime iuſtum eſſe, inquit Mebodes, ſibi non eadem permitti facere quæ Zichus antè ſe legatus fecerat. Nam qui cum noſtris erant Saraceni ad Imperatorem vnà cum ipſo acceſſerunt. Itaque oportet me iiſdem frui quibus ille, ne in aliquo inter Romanos & Perſas induciæ ſint quodammo-

do violatæ. Ad quę Imperator iracundia percitus: Si igitur Zichus in adulterio, aut aliquo alio graui crimine deprehensus esset, tu illius vestigiis tibi insistendum putares? Num sentis te cum Romanorum Imperatore & Iustino sermonem habere? Tum consternatus Mebodes præ pauore pronus in terram se ad eius pedes prostrauit & adinficiationem perfugium habuit, negauitque à se talia prolata fuisse. Qua excusatione cum vteretur, visus est Imperator adduci vt fidem haberet. Et dixit: Videtur igitur interpres nobis alia pro aliis suggessisse. Itaque si nihil à te dictũ est ab officio & decoro alienũ, tu quidem crimen facile purgasti. Ad hunc modum Imperator sponte, ea quæ dicta fuerant, cum eorum ignorationem simularet, dissimulatione transegit, & ad animi æquitatem est delapsus, sic tamen, vt non ex eo Mebodes in posterũ fieret audacior, aut verbis elatior, quia cognosceret Imperatorem tantum ingenij acie valere, vt si qua inesset eius verbis asperitas, facilè deprehẽderet. Itaque adhunc modũ Imperator retudit eorum audaciam. Ploret iam igitur & lugeat Mebodes, & Saracenicæ

gentes, omnes & Ambrus ipſe, quod legatio contra ipſos vertit. Mihi vero de ipſis ſilentium ſit neque dixero reliqua. Cum in his perturbationibus & altercationibus eſſent, plurima quoque alia Imperator maledicta in Saracenum coniecit, quod inſtitor, & mercaturæ faciendæ gratia, veniſſet. Ad hæc dixit ſe ſilentio præterire non poſſe, qua de cauſa Imperatoris congreſſum, tantopere concupiſſet. Scilicet inquit, volebat à nobis, ſolitas pecunias corradere, pro quibus calamitates ſceleſtus & improbus feret. Valdè enim ridiculum, & indecorum eſſet, ſi cum Romani ſimus, vſque ad tributi præſtationem, nos Saracenicis gentibus, & Nomadibus, ſubmitteremus. Rogat te ô Domine inquit Mebodes, licet re infecta, vt ipſum dimittas. Et Imperator, Si non veniſſet, quanti hoc nobis eſſet? Abeat igitur, & me quoque iube (inquit Mebodes) cum ipſo abire. In his finiuit legatio. Itaque, Perſarum legatum, & Saracenos, ad ſua redituros, Imperator dimiſit. Atque ita, Imperatoris prudentia, pacata ſunt, & emendata omnia, quæ Iohannes, in ſua

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [240] - 212

legatione, perperam egerat. Vt verò Saraceni domum reuerterunt, consilium Imperatoris, de Saracenis, qui Medorum partibus ad hærebant, Ambro eorum duci patefecerunt. Tunc Ambrus Camboso fratri (is Alamanduro Saracenorum partes Romanas fouentium Duci, erat oppositus) mandauit, vt Alamanduri terram, quæ Arabiæ contermina erat, excursionibus vexaret.

Initio quarti anni imperij Iustini, legatio Turcorum, Byzantium accessit. Vt enim Turci opibus & potentia creuerunt, Sogdaitæ, qui prius quidem Ephtalitarum, tunc verò Turcorum subditi erant, à Rege suo precibus contenderunt, vt legationem ad Persas mitteret, quô Sogdaitis, eò proficiscentibus, purpuram venum exponere Medis liceret. Disabulus eorum precibus obtemperans, permisit Sogdaitis legationem mittere, cuius Princeps fuit Maniach. Profecti igitur ad Persarum regem, supplicarunt, vt liberum illis esset, sine vllo impedimento, apud ipsos purpuræ commercium. At Persarum Rex cui minimè hoc gratum erat, ne impune illis esset Persarum fines ingredi, responsum di-

ſtulit in craſtinum, deinde alia atque alia dilatione iterum vſus eſt. Cùm diem die truſiſſet, & obnixè Sogdaitæ ſupplicarent, & vrgerent, Coſroes conſilium conuocare conſtituit. Catulfus autem ille Ephtalites, qui propter ſtuprum, à Rege vxori ſuæ, per vim illatum, gentem Turcis prodiderat, & propterea ſolum exilio verterat, apud eos tunc temporis erat, etenim in Medorum partes tranſierat, hortatus eſt Perſarum Regem, vt purpuram minimè prætermitteret, ſed eam emeret, & pretium conſtitueret. Deinde adhibitis, reliquis aliis legatis, eam igni traderet, ne iniuſte agere, & Turcorum purpuram, ad ſuam ſolius vtilitatem vertere velle videretur. Et purpura quidem igni cremata eſt, legati verò, ad proprias ſedes remearunt. Deinde Diſabulo, quæ decreta fuerant, renuntiarunt: is confeſtim alia legatione, ad Perſas vſus eſt, qua reip. ſuæ amicos eos conciliare ſtudebat. Vbi vero iterum legatio à Turcis aduenit, Perſarum Rex, vna cum Primoribus Perſarum & Catulfo, cenſuit, minimè è re Perſarum eſſe, amicitiam iungere cum Turcis. Omne enim Scythicum genus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [242] - 214

perfidum & mutabile. Quinetiam iussit, veneficio tolli nonnullos legatorum, quo deinceps, auersarentur ad suas regiones accessum. Sic euenit vt ferè omnes legati, exceptis tribus, aut quatuor ad summum, mixto cibis lhetali veneno, sint perempti. Rumor ex eo inter Persas dissipatus est, Turcorum legatos, graui & nimis sicco terræ Persidis situ, periisse. Nam cum Turcorum regio, frequentibus nebulis densata sit, minimè illis possibile est viuere, nisi in frigida aëris constitutione. Ad ea, atque alia huiusmodi, credenda cum hi qui insidias euaserant verisimili cõiectura (quamuis aliter se res haberet) ducerentur, eadem quæ per Persidem percrebuerant, fama quoque apud suos diuulgarunt & insusurrarunt. Sed Disabulus callidus & versutus, quæ patrata erant non ignorabat. Credebat enim, & verum erat, legatos dolo necatos esse. Hinc inimicitiæ Turcorum & Persarum, originem cœperunt. Et hanc occasionem Maniach, qui Sogdaïtis præerat, arripiens, consuluit Disabulo, vtilius esse Turcis Romanos colere, & eorum amicitiam amplecti, & ad illos purpuræ commer-

cium transferre,& venum exponere,qui purpuram in frequentiori vſu haberent, quàm reliqui homines, ſeque paratiſſimum eſſe dicebat Maniach, vnà cum legatis Turcorum ad eam legationem proficiſci, vt Romani & Turci, hac conditione fierent amici. His verbis, cum Diſabulus aſſenſus eſſet, mittit ipſum, & quoſdam alios, qui legationem obirent apud Imperatorem Romanum, eique gratulationes deferrẽt. Itaque Maniach dona purpuræ nõ parui pretij Syllabas & tales quales epiſtolas ferens in viam ſe dedit. Cum longum itineris ſpatium confeciſſet, multaſque regiones peragraſſet, montes præruptos & vndique niuibus & nebulis coopertos, loca plana & ſyluoſa, & paludes, deinde Caucaſum ſuperaſſet, Byſantium peruenit, & in regiam introductus ad Imperatorem acceſſit. Hic omnia executus eſt, quæ ad fœderis coniunctionem, & firmum vinculum pertinebant, & litteras & dona in manus tradidit eorum, qui ad id venerãt & precatus eſt, ne ſibi inutiles, & infructuoſi eſſent tam longi itineris ſudores. Cæterũ Imperator, vbi legit per interpretem, litteras Scythicè

ſcriptas, legationem lubenti animo admiſit. Itaque legatos percunctatus eſt, de Turcorum Principatu,& regione, illi verò reſponderunt, quatuor apud eos præfecturas, ſed ſummum totius gentis Imperium penes ſolum Diſabulum eſſe. Ad hæc dixerunt ſubegiſſe Ephtalitas eoſque tributũ pendere coegiſſe, Omnis igitur, inquit Imperator, concidit, & à vobis eſt euerſa Ephtalitarum, potentia.

Maxime inquierunt legati. Iterum Imperator, An in vrbibus, aut vicis habitabant Ephtalitæ? Gens ô Domine, vrbes colit. Ergo, ſubiecit Imperator, manifeſtum eſt vos omnium vrbium quæ illorum fuerunt, effectos eſſe dominos. Sic eſt Imperator, dixerunt. Sed nos docete, quanta ſit Abarorum multitudo, quæ veſtri imperij frenum excuſſit. Sunt quidam Imperator qui adhuc noſtra colũt. Qui verò, à nobis defecerũt, arbitror eſſe circiter viginti myriadas. Poſtremo Imperatori dinumerarũt gentes Turcis ſubditas. Deinde ab eo vt pax & armorũ ſocietas Romanis & Turcis eſſet, petierunt. Addiderunt ſe paratiſſimos eſſe, pugnare contra omnes, qui Romanæ dominationi infeſti, eos terra bello ap-

peterent. Hæc ſimul atque pronuntiarunt, Maniach manibus in cœlum ſublatis,& qui cum ipſo erant,iureiurando maximo, ex animi ſui ſententia, bona fide hæc omnia dicere & promittere affirmarunt, ni ea vera eſſent, aut ſi ſcientes fallerent,neque ea obſeruarent,ſibi ipſis, & etiam ipſi Diſabulo totique genti diras ſunt imprecati. Ad hunc modum gẽs Turcica, quæ nunquam anteà, ſeſe ad noſtram remp. applicuerat, Romanis amica eſt facta. Poſtquam fama peruagata eſt Turciã, qua circa fines, iter publici Romanorum legati habebant, eos vnà cum Turcorum legatis, Byzantium redire; eius regionis Dux, Diſabulum (nam ſequebatur,) ſupplex orauit,vt cõſtitutionis reip. Romanæ diſpiciendæ gratia, ſibi quoque legatos mittere liceret,atque eadem reliquis etiam ducibus, tribuum præpoſiti concedi, petierunt, quod tamen nulli alij, quàm ſoli Chliatium Duci,conceſsit. Itaque hunc etiam Romani aſſumentes, & haud breue viæ ſpatium emenſi, ad illam ingentem & latam paludem, peruenerunt. Hic Zemarchus tres dies commoratus, mittit Georgium, qui dimiſſus eſt, vt Impera-

tori, per conciſas litteras, quid in ea legatione actum eſſet, nũtiaret, tum etiam illi ſuorum à Turcis reditum ſignificaret. Georgius igitur cum duobus & decem Turcis, viam Byzantium verſus cæpit deſertam quidem & inaquoſam, ſed compendioſiorem. Zemarchus autem per arenoſa paludis iter faciens, per decem & duos dies, loca prærupta prætergreſſus attigit ripas non ſolum fluminis Hich, ſed etiam & Daich, & rurſus per alias paludes, Attilam, inde ad Hugoros, qui Romanos monuerunt in denſis & arboribus conſitis locis, latere in inſidiis collocata Perſarum quatuor millia, qui obſeruabãt quà tranſirent, vt eos captiuos facerent. Ongororum Dux qui illic, ex authoritate Diſabuli Imperium habebat, vtres aqua impleuit & præbuit Zemarcho, & eius comitibus, vt cum per inaquoſa tranſirent, haberent vnde aquarent. Inuenerunt & paludem & magnum illud ſtagnum prætergreſſi, deuenerunt ad eas paludes, in quas immixtus Cophen amnis, ſeſe effundit. Ex eo loco, mittunt qui explorarent, an verum eſſet, Perſas in inſidiis eſſe. Hi iiſdem veſtigiis inſiſtentes, redierunt,

& renuntiarunt, neminem vidisse. Nihilo secius in Alaniam magna cum trepidatione, propterea quod metuebant gentem Horomoschorum, properarunt. Eò cum veniissent, & Sarodium Alanorum Ducem, vnà cum Turcis adire vellent, Sarodius quidem Zemarchum, & qui cum eo erant, benigne & comiter excepit, sed Turcorum legatos prius quam arma deposuissent in suum conspectum venire noluit. Maximo igitur inter ipsos, super hac re orto & continuato per tres dies certamine, dissidentium arbiter fuit Zemarchus. Tandem, armis depositis vt Sarodio placuerat, eum adierunt. Sarodius autẽ monuit Zemarchum ne per Mindimianos iter faceret, propterea quod Persæ circa Suaniam in insidiis erant: consultius faceret, si per Darinem, domum rediret. His cognitis, Zemarchus per Mindimianiam decem equites onerarios misit, qui purpuram ferentes, obuios Persas habituri essent, qui crederent eos præmissos, vt purpuram ferrent, & via præirent, ex eoque conijcerent, Zemarchum mox secuturum, & equites discedentes iter pergerent. Ze-

marchus vero Mindimianæ regioni vale dicens, per Darinem in Apſiliam venit. Mindimiana ad læuam relicta, (Hac enim parte ſuſpicio erat Perſas inſidias ſtruere) ad Rhetaurium acceſſit, deinde ad Pontum Euxinum, & nauibus vſus Phaſi ad Trapezuntem, vnde equo publico Byzantium ad Imperatorem delatus, omnia illi narrauit. Hic igitur profectio & reditus Zemarchi finem accepit.

Abari & Franci fœderibus inuicem initis, cum pax firma inter eos eſſet, Baianus Abarorum Dux, ſignificauit Sigiberto Francorum Duci, ſuum exercitum commeatus inopia laborare. Decere eum qui Rex eſſet, & inter ſuos minimè negligere exercitum, ſibi fœdere coniũctum. Promittebat autem ſi exercitum Abarorum neceſſariis rebus recreaſſet, ſe tertio die caſtra moturum, neque longiori tempore in his locis commoraturũ. Hæc vbi Sigiberto ſunt nuntiata, ſtatim legumina, oues, & boues, ad Abaros miſit.

Alboinus Longobardorum Rex, (nec enim inimicitias quas cum Cunimundo Gepidarum Rege exercebat, deponebat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [249] - 221

sed quacunque ratione Gepidarum opes sibi euertendas ducebat) legatos ad Baianum misit, quibus eum ad armorum societatem adhortabatur. Legati cum aduenissent, precibus cum Baiano Abarorum duce agebant, ne se contemneret, qui nefanda omnia à Gepidis passi erant, quin etiam & à Romanis, Abarorum genti quàm infestissimis, qui Gepidas bello iuuassent. Neque tam ardenti studio in Gepidas bello ferri, nisi vt Iustinum labefacerēt Regem omnium Abaris inimicissimum. Is fœdera non ita dudum, cum Iustiniano eius patruo, transacta pro nihilo habens, Abaros consuetis muneribus priuauerat. Adiecit si cum Lõgobardis se cõiungerent fore vt inuicti essent & Gepidis exterminatis eorum opibus & regione communiter potirentur. Tum in posterum tota Scythia subacta, beatè vitam traducerent. Inde facile illis fore Thraciam occupare, & ex vicinis locis mouentes minimo negotio Romanorum regiones armis percurrere & Byzantium vsque ferri. Dixerunt quoque Longobardorum legati Abaris expedire Romanos pugna præuenire. Si

enim illis res ad voluntatem fluxerint, quoquo terrarũ Abari conſtiterint, illos perſecuturos & quacumq; ratione deleturos. Baianus legatos quidem Longobardorum excepit, ſed viſus eſt eos parui facere, vt ea ratione, conditionibus, quæ ſuis rationibus vtiles eſſent, ad armorum ſocietatem, ſecum contrahendam, pelliceret. Et modò ſe non poſſe, modò poſſe, iactabat, ſed nolle. Cumque ſe, in omnes partes dicendo verſaret & precantes omni fraudis genere concuſſiſſet, magna cum difficultate ſtatuit, eorum petitioni aſſentiri, ſed non alia conditione, quàm ſi decimam partem quadrupedum, quæ tunc temporis, apud Longobardos eſſent, confeſtim acciperent, ſi ſuperiores euaderent dimidium manubiarum & tota Gepidarum regio eius iuri cederet. Atque hæc cùm ita conuenta eſſent, bellum inferre Gepidis deinceps inſtituerunt. Quæ vbi Cunimundus intellexit, dicitur, timore perculſus, legatos quoque miſiſſe ad Iuſtinum Imperatorem, & eum eſſe obteſtatum, vt non minus quàm antea in partem periculi veniret. Tum rurſus vt illi Sirmium, & omnem regionem

quæ intra Drauum fluuium est, concederet. Neque pudore afficiebatur quod contrarium faceret his quæ iurasset, neque iureiurando staret & pareret. Ex quo cum Imperator perspiceret & conijceret ex his quæ euenerant, nihil inesse Comindo fidei, minime quidem illi denegandum auxilium, sed dilatione & procrastinatione petitionem eius ducendam existimauit. Respondit enim per varias prouincias dispersos esse Romanorum exercitus. Cum celeritate & studio illos accersiturum, & coacturum & quam citissime suppetias missurum. Hæc mihi de Comindo audita: sed minime verisimilia videntur. Mihi enim summè impudens videtur is qui cum fœdera ruperit, & à suis conditionibus fugerit, eadem rursus petit. Dicitur vero minime tunc temporis Longobardos legatos ad Iustinum misisse, sed Gepidas, qui tametsi omni studio, à Romanis auxilia impetrare conarentur, etiamsi se contemni, & sua postulata refutari, & reijci, magnopere quererentur, nihil profecerunt. Hoc tamen ab Imperatore consecuti sunt, vt neutra gens à Romanis auxiliis iuuaretur.

Baianus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [252] - 224

Baianus quo tempore de obſidendo Sirmio cogitabat, Vitallianum interpretem & Comitan in vincula coniecit. Hos autem duos viros, Iuſtinus Imperator dudum ad illum miſerat : & cum illi quererentur de quibuſdam rebus quę inter ipſos controuerſæ erant contra fas,& commune ius gentium eos in vinculis habuit.

Baianus, poſt murorum oppugnationem, miſit, qui de pace agerent. Nonnulli ex his qui Sirmij erant,ad ſummum faſtigium balnei, quod populi vſui erat relictum,ad ſpeculandos hoſtes, vt moris eſt,aſcenderunt.Hi per ſpeculam,caput exerentes, & circumſpicientes, ſi quà barbari eruptionem facerent, aduerterunt Abarorum nuntios, qui iàm ſe in viam dederant, è longinquo per iter vagantes. Hos cum certò dignoſcere non poſſent, ſuſpicati sũt eſſe ex exercitu hoſtium. Itaque nuntij,quinam eſſent,ilicò manifeſtum fecerunt,& ſignũ ſuſtulerunt. At Bonus, cum illi in dubio hæreret animꝰ, cognouit barbaros eſſe, paruo numero, & per preconem ſignificare velle, cum illo colloqui. Itaque &

miſit qui extrà muros, cum illis colloquia ſererent. Decumbebat enim ex vulnere, neque illi per Theodorum medicum, licebat exire, & hoſtibus coràm ſe ſiſtere. Neque vero indicauit hoſtibus, nec enim expediebat, eum vulneratum. Nam ſi id reſciſſent, nihil neceſſe fuiſſet celare, ne ſi celaret ſuſpicionem inijceret, Ducem è viuis exceſſiſſe. Sed hoſtes vbi viderunt alios qui de pace diſceptarent venire, ſuſpicati ſunt Ducẽ perijſſe. Itaque colloquium coram eo fieri, velle dixerunt. Tunc Theodorus qui quod publice intererat præcipue ſpectabat, dixit, non iam tempus poſtulare, vt Dux domi in occulto ſe contineret, magis eſſe, vt extrà ciuitatem prodiret, & in conſpectum barbarorum veniret. Itaque vulnere vnguento illito, ei author fuit, vt extra vrbem progrederetur. Tunc legati mutuo ſermone, huiuſmodi verbis ſunt vſi: Abarorum dominus ô Romani, apud vos hæc proponere iuſsit. Ne illi ſuccenſeretis ſi contrà vos bellum ſuſcepit. Etenim priores bello cauſam dediſtis. Multis exhauſtis laboribus, & nõ minoribus

itinerum fatigationibus toleratis vix iſtam, inquit, regionem cœperam, cum mihi illam vi, eripuiſtis. Præterea Oudobatum, qui ex captiuis dominio meo ceſſerat, mihi ereptum habetis. Multas quoque alias acerbas contumelias, in me effudit Imperator veſter, neque id ſemel, atque iterum, ſed ſæpius, neque quicquam eorum quæ iuſta erant, & æquitati cõſentanea, facere voluit. Itaque ſi tot, tantiſque iniuriis, & damnis à vobis affectus, & laceſsitus, armis ſum vſus, in nullo ſum reprehendendus. Quod ſi vultis, nunc etiam de fœdere & pace, nobiſcum verba facere prompto animo id faciemus. Veſtri igitur arbitrij res eſt, quod expedit præoptare, & pacem bello præponere. Ad quæ Bonus reſpondit priores quidem nos minime bellũ occepimus, aut in vos graſſati ſumus : è contrario tu prior in Romanos irruiſti. Grauetibi quidem & moleſtũ quod Imperator deliberauit, an tibi ea quibus domũ inſtrueres largiretur, quæ tamen legatis à te miſsis erogauit. Sed cum, ex eo, te audaciorem factum cerneret, & vltrà barbaricã inſolentiam, vana gloria elatum, & tumentem, ita vt illi verba arro-

gantiora, longe tuas vires excedentia, denuntiares: nimirũ prudens & cautus eas res sibi habuit, & in domus suæ vsum conuertit. Et vt nunc sunt res, vestrũ est ad Imperatorẽ si videbitur legatos mittere qui de pace conueniant. Nec enim existimes velim, in nostra potestate esse, tametsi nunc tecum colloquium habeamus, quicquam aliter quàm Imperator præscripserit facere.

Hæc vbi Bonus dixit, recta quidẽ eum & iusta dixisse Baianus censuit: Sed hæc subiecit: Sanè ego propter gentes; quæ me ad bellum secutæ sunt verecũdia ducor. Et me pudet, nulla re effecta, recedere, neque quicquam operæ pretij feciſſe, quod mihi sit vtilitati & fructui. Ne igitur videar frustra tantum laboris pertulisse, & sine vllo emolumento expeditionẽ suscepisse, parua munuscula ad me mittite. Et enim è Scythia, hûc transmittens, nihil quicquam mecum extuli, & mihi impossibile est si nihil rei quod me iuuet, percepero, hinc excedere. Bono quidẽ Duci & cæteris qui cum eo erant, inter quos erat supremus vrbis sacerdos, visum est, Baianum iusta & rationi consentanea proponere. Nec enim immo-

derata munera Baianus sibi dari petebat, solum vnam pateram ex argẽto factam, & modicum auri, præter hæc togulam Scythicam. Verum Bonus, & qui ei adstabant, aliquid proprio consilio inconsulto Imperatore facere, timebant. Itaque Baiano contra respondit: Habemus nunc Imperatorem qui facile ad iracundiam adducitur, eum formidamus, neq; quicquam nostra sponte, & proprio animi iudicio, illo incõsulto facere sustinebimus. Cæterum, qui in castris degimus, pecunias in numerato minime habemus, neque si quæ nobis sunt, nobiscum ferimus, sed tantum castrensem suppellectilem, & ea quibus induimur. Deniq; Abarorum Duci, arma quibus instructi, huc venimus, frugaliter & tenuiter victuri, dono dare, vide ô Cagane, ne iniuria & ignominia aliqua esset, neque digni vllo honore, vt ita dicam essemus. Pretiosiora enim viaticorũ nostrorum, sunt in aliis locis, & longè à nobis remotis posita. Quod si vos Imperator noster, muneribus demereri voluerit, non cunctabimur, tibi & nobis gratulãtes, & Imperatoris iussa facere, & omne, quoad eius fieri poterit, quod tibi conducet,

exequi, tanquam amici, & eius, qui vnà nobiſcum vni domino paret, vtilitatibus inſeruiẽtes. Ob hæc indignatus Baianus iurans minatus eſt, ſe immiſſurũ exercitum in Romanorum ditionis regiones, qui populationes faceret. Ad quæ cum Dux palam prædicaret, illi quidem licere omnia quæ poſſet aggredi & tentare, ſed perſuaſum habere ſore vt iſtæ excurſiones, his qui in eas mitterẽtur, non bene verterent, reſpõdit ſe tales miſſurum, qui ſi perierint damnũ nullũ ex eorũ exitio, ad eius ſenſum eſſet peruẽturum. Itaque iuſsit, dena millia Contraguororũ, qui dicebãtur Hunni, traiicere fluuium Saum, & vaſtare Dalmatiam. Ipſe verò, cum omni ſuo exercitu, tranſmiſſo Iſtro in finibus Gepidarum ſubſtitit.

Venit denuò Targitius, vt legatione fungeretur, apud Imperatorem. Eadem vero dixit Imperatori, & audiuit ab Imperatore, quæ ante Imperatori dixerat, & quæ à ſe dictis ab Imperatore reſponſa tulerat. Petebat enim à Romanis ſibi tradi Sirmium oppidum, tanquam quod eſſet ſua priuata & domeſtica poſſeſsio. Et quia ab ipſo Gepidarum res eſſent euerſæ, neque quicquã, præteritis annis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [258] - 230

ex pecuniis, quas Iustinus Hunnis, quotannis pendebat, acceperant, omnes simul Targitius persolui, & ita in posterum, earum annuas collationes valere & eas Romanos prestare flagitabat. Oudobatum quoque poscebat, tanquam qui suus captiuitatis iure & lege esset. Plurima alia etiã, in medium proferebat Targitius, insolentiæ & superbiæ plena quorum omnium Imperator, nullam rationem habuit, sed elusit & contempsit, & verbis Imperatoriam maiestatem decentibus, est vsus. Denique cum per diuersas & multas legationes, super his commeantes nihil quicquam effectum esset, Targitium dimisit Imperator, & illi dixit se illuc missurum Tiberium qui summũ in exercitu habebat imperium, qui de omnibus rebus ageret, & singula pacaret & firmaret.

Multæ quidem aliæ belli causæ inter Romanos & Persas extiterunt, maximè verò Turcorum gens impulit Imperatorem, contrà Persas arma mouere. Etenim Turci Mediam inuaserant, & depopulati erant. Itaque Iustinum missa legatione, vt se tuerentur & bellum Persis secum inferrent, quo communibus hosti-

bus exitio essent sollicitabant. Etenim ex vna parte Romanis, ex altera Turcis ingruentibus Persas qui in medio constituti erant, facilè opprimi posse. Harum rerum fiducia elatus Iustinus, facile fore existimabat, Persarũ potentiã euertere, &eò, tanquã non extaret adducere. Itaque quantum in illo erat, omnia curabat, quò sibi Turcorum amicitiam fidam & tutam cõseruaret. Abari Legationem de iisdem rebus, de quibus sæpius anteà, ad Romanos, miserunt, cui legationi cum Romani minime aures præberent. (Nec enim Iustinus cum eorum Imperatore erat placatus) tandem Apsicho legationem obeunte, Tiberius, & Apsich in ea sententia constiterunt, vt Abaris Romani terram, in qua habitarent darent, si obsides filios eorum, qui apud ipsos imperia gerebant, acciperẽt. Quæ Tiberius Imperatori significauit. Quod tamen, minimè rationibus Romanorum conducere Imperator censuit. At Abarus, non aliter se pacem facturum dixit, nisi aliquos ex liberis ipsius Ducis Romanorum, obsides sumeret. Tiberio non ista probantur. Sic enim

iudicabat, ſi aliquos liberos eorum, qui apud Scythas imperitabant obſides, vt par erat, haberet, fore, vt ſi Caganus, à pace recedere vellet, patres eorum qui apud Romanos obſides eſſent non permitterent. Tiberij igitur, hæc erat ſententia. Sed Imperatori, pacem, omninò minimè faciendam videbatur. Quinimò, ipſis exercituum ducibus ſuccenſuit, quod bellum gerere cunctarentur Syllabis quoque vſus eſt & eos admonuit oportere vt barbaris ſuæ virtutis & fortitudinis ſpecimen exhiberent, & ſe Romanos oſtenderent, laborum patientes, & belli cupidos quos vita delicatior & mollior minimè iuuaret. Vt diſcordia prævaluit & bellicũ cani ceptum eſt Tiberius litteris Bonum admonuit, vt diligentem fluuij cuſtodiam faceret.

Tiberio victo, & victoria potitis Abaris, conuentum eſt legationem per inducias ad Imperatorem mitti. Ad quam Tiberius Damianum, ordinis ductorem, miſit, qui illum, eorum quæ contigerant, & quæ Abari vellent, certiorem faceret. Tandem fœdus inter Romanos & Abaros eſt factum. Fœdere inito, cum Abari ad ſua redirent, Scamanes

vulgo in his locis dicti, ex insidiis illis vim fecerunt,& equos, argentum, & reliquam supellectilem eripuerunt. Quapropter legationem, ad Tiberium miserunt,quæ de rebus ablatis quereretur, & rapta repeteret. At deprehensi, qui latrocinium fecerant, & in apertum adducti partem aliquam Abaris restituerunt.

Exacto decimo quinquaginta annorum induciarum anno, post Surinæ cedem, Persarum Rex Sebochtem virum Persam, legatum ad Iustinum Imperatorem mittit. Ille quidem ignorationem eorum quæ in Persamenia gesta erant, fingebat, & cum decem anni præteriissent quorum præstationes in vnam collatæ,fuerant solutæ; deinceps Romanos aurum conuentum soluere vt fœderibus scriptum erat,& pacē constare petebat. Nam cum initio Cosroes suspicaretur Romanorum Imperatorem, à condicionibus pacis recedentem ad bellum ferri, valde perturbatus fuerat. Verebatur enim ne ex improuiso Imperator, cum magno apparatu, se bello aggrederetur. Neque verò non etiam illi, maximè curæ erat, vt pax inuiolata perma-

neret. Nam cum iam ad extremam ſenectutem peruenisſet, in ea cogitatione verſabatur, qua ratione, nullis bellis interturbatam, & impeditam, Regni paterni poſſeſſionem, liberis ſuis relinqueret. Imperator autem Sebochtem ad ſe venientem, ne minimùm quidem etiam ſi aliàs, id fecerat, anteuertit. Neque ideò minùs ſimulátque ingreſſus eſt, Imperatorem, vt moris erat, venerans, ad pedes eius humi procubuit. Quod cum faceret accidit, vt pileus, quem in capite vt Perſarum leges ferunt, geſtabat, in ſolium caderet. Hoc omine, Principes viri & cætera turba, tanquàm diuinitus immiſſo, vti, & fœda adulatione Imperatorem extollere, & dicere fore, vt Perſis, quantum nunquam antea, ei ſubmitteretur. Hac cogitatione mente elatus Iuſtinus, in ſpem adducebatur, omnia quæ animo voluebat, ad optatum exitum peruentura. Itaque cùm Sebochtes, ea quorum cauſa venerat, renuntiaret, Imperator eum contempſit, & nullo numero habuit, dixitque amicitiam, pecuniis contractam, haud probari. Turpem enim & ſeruilem eſſe, quippe quę, pretio empta eſſet.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [263] - 235

Amicitia autem cuius ratio constans, & natura benefundata esset, æqualem, non quæstu comparatam, definiri. Deinde ex ipso quæsiuit, numquid vellet, de his quæ in Armenia, quæ eorum juris erat, contigerant, differere? & ille se quidem à Rege suo accepisse, respondit, exortum quemdam, in illa prouincia tumultum, leuem & exiguum, ad eum sedandum potentem misisse qui comprimeret & res pristino statui restitueret.

Iustinus palàm dixit, se Persarmenios qui à Persis deficerent, in fidem tutelámque suam recepturum, neque si quis, eos iniuria afficeret, neglecturum, quippe qui, eadem quæ ipse de religione, sentirent. Sebochtes autem, qui apud Persas prudentia excellebat, cum eandem, quam ceteri Christiani, de religione opinionem haberet, etiam atque etiam, vehementer Iustinum orabat, ne ea quæ se bene haberent, moueret. In mentem illi veniret, bellum esse rem valdè incertam, neque ad voluntatẽ fluere. Quod si fortè fortuna contingeret, vt Romani victoria potirentur, ea quorum causa victoriam adipisci, tantopere concupissent in contrarium ca-

ſura. Etenim vt Perſarum regionem inuaſerint, & longè latéque via proceſſerint, offendent, omnes non alio ritu religionem, quàm ipſe colat, colere & amplecti. Hos ſi occidere ſuſceperint, nihilominus poſteà, longè ipſis inferiores erunt. Etenim iniuſte contra Chriſtianos, orthodoxos, enſes ſtrinxerint. His tam æquis, & lenibus ſermonibus, Iuſtinus minimè ſibi acquieſcendum exiſtimauit, ſed dixit, etiam ſi vnum digitum apponeret, ſe expeditionem ſuſcepturum. Confidere, ſi in bellum eruperit, Coſroem de medio ſublaturum, & Regem Perſis daturum. Ad hunc modum, inſolenter locutus, Sebochtem miſſum fecit. Poſtquam, in manus Hunnorum, Sirmium oppidum deuenit, ad fœdera ventum eſt, vt ab omni hoſtilitate ceſſaretur, quò faciliusà ſolitudine, & vaſtitate, quam bella fecerant, ſe reficerent. Fœderum verò conditiones Romanis turpes & probroſæ. Ad tantum enim malorum colophona, res redactæ erant, vt Romani ſedentes, tãquàm certaminum iudices pretioſa munera, pro præmio cladis illatæ, barbaris largirentur, & octua-

ginta mille auri libras, in emptionem argenti, & variæ veſtis, & aliæ ſupellectilis, ſe illis, ſingulis annis præſtaturos ſponderent. Non vltrà duos annos, fœdera tenuerunt. Etenim incredibili audacia in Romanos inſurrexit, ab Hunnis dictus Caganus. Etenim antequã fœdera dirimeret, fama ad eum peruenerat, animalia portentoſa corporis magnitudine, à Romanis nutriri. Itaque ab Imperatore petiit vt eorum conſpiciendorum ſibi poteſtatem faceret. Lætus Imperator, quod Caganum, huiuſmodi animalia videndi cupido inceſſiſſet, Elephantos, eius conſpectui exhibet, & ex his, qui apud ſe alebantur, quem cæteris omnibus magnitudine præſtare vidit, ad eum mittit. Vt Caganus, oculos coniecit in animal Indicũ, ſtatim ſpectaculo miſſo facto auerſatus, ad Cæſarem reportari iubet. An perterrefactꝰ, an deridẽs, quod antea admiratione dignum duxerat, non habeo dicere, nec enim reticerem. Is quoque vſque eò Cæſari moleſtus fuit, vt adſelectum ex auro artificioſe elaboratum, mittere impelleret. Ad eam inſolentiam Caganum extulerat præſentis fortunæ faſtigium. Impe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [266] - 238

rator verò, qui donum ad regalem magnificentiam excoluerat, æque regio apparatu & magnificentia, ad eum deferri curauerat. At ille vultum contrahens, vltra modum superbiit, & munus veluti parum se dignum, per contumeliam derisit, & aureum lectum, tanquam illiberale, & parum magnificum fastidiit, & ad Imperatorem remisit. Quin & ad octuaginta mille libras, alias viginti quotannis sibi à Romanis pendi postulauit. Quæ cum Imperator grauiter & iniquo animo pateretur, fœdera neglectui habuit, & iusiurandum ventis ferre tradidit, & frequentem tubam, bellis amicã, sumens, exercitum cõparauit.

Caganus Targitium, cum Elpidio Romanorum legato, ad Mauricium Imperatorem misit, & viginti mille libras auri, ad octuaginta sibi quotannis addi petiit. Qui cum ambo, ad Imperatorem veniissent, decreto sancitum est, vt ad octuaginta mille auri libras, viginti pensionis annuæ, quotannis adiicerentur, quandoquidem bellum nolebant, & aspernabantur. Itaque fœdera visa sunt reuiresce re, & bellum cessationem accipere. Sed post breue temporis momen-

tum pacis constitutio est abolita, & rursus Abarorum gens bello, non tamen indicto, Romanos adorta est. At Sclauorum gẽs, ignota, improbior, & versutior, Romanos est aggressa, & solitudinem per eorum ditionis terras, fecit, & vsque ad longos muros, (sic locus ille appellatur) omnia longè latéque, deformata, oculis conspicienda præbuit.

EX LIBRO SECVNDO.

CVM Iustinus, mentis imbecillitate laboraret, gratum habuit, Tiberium reip. negotia administrare. Cum autem Tiberius & Regina incerti essent, quid de rebus bellicis statuerent, dubitationem exemit Persarum Rex, qui Iacobum legatum ad Romanorum Imperatorẽ misit: Is persica verba, Græcè exprimere nouerat. Cogitanti Persarum Regi Romanorum res, in vltimum discrimen adductas esse, & nihil iucundius & opportunius illis contingere posse, quàm quibusuis conditionibus, bellum pace finire, cuius rei gratia tamen eos pudebat legationem mittere, quod indecorum

decorum existimabant, eum qui bellum suscepisset, priorem initium supplicandi facere, hunc pudorem preueniendo, sustulit. Et quoniam consternati animo erant, rationem & occasionem excogitauit, vt per speciem colloquij pacem supplices orarent. Itaque melius consultus mittit Iacobum, vt Persæ glorioſius, quantum nunquam anteà, bellum contrà Romanos deponant, quia Romani, omnia quę Persæ voluerint sunt concessuri. Atque hæc missa per Iacobum ad Iustinum Epistola, neque per ætatem Regis Persarum (erat enim omnino adolescens) neque alterius opinor viri prudentia præditi fuit. Alium enim quempiam insolentem esse, non alienum fuisset, sed illum, qui nullo rerum vsu valebat, superbire, aut audacius loqui forte minimè oportuerat. At epistola contumeliæ & probri & verborum insolentium plena fuit. Itaque etiamsi epistola arrogantiæ & contemptus plena esset, tamen introductus est Iacobus, non quidem ad Iustinum. (Is enim ingenio & corpore male habebat) sed ad Reginam quæ omnia Imperij negotia cum Tiberio curabat. Lecta epistola Regina ress-

pondit ſe quoque miſſuram legatum ad Regem Perſarum, qui de omnibus de quibus inter ipſos controuerſia mota erat, ageret. Itaque mittitur Zacharias inter Imperatoris medicos adſcriptus, qui tulit litteras Reginæ.

Sub Tiberio Cęſare, Romanorum Duces, impetu in Albaniam facto, obſidibus à Sabiris & aliis gentibus acceptis, Byzantium venerunt. Eò cum legati Alanorum & Sabirorum veniſſent, qui vt ſe Romanis dederant, mittebantur, Cæſar eos benignè valde & humaniter excepit. Cum autem ex eorum verbis audiſſet quantas pecunias illis Perſarum Rex largitus fuiſſet, facta poteſtate, quãtum vellent oratione, rem exaggerare, & verum, dicendo obſcurare, Duplo maiora premia vobis largiar, inquit, nõ ſolũ virisindignitate cõſtitutis ſed etiã vnicuiq; veſtrum. Hæc barbaris lætitiam attulerunt, & viſi ſunt ſuę meliori fortunæ gratulari, & aſcribere, quod ſubiecti forent Romanis. Retulerunt autem Abirem abſentem eſſe, ſed non ad longum tempus, is tamen nulla obſidum habita ratione Perſis ſe coniunxit. Deinde Cæſar cum legatis congreſſus, conſentanea his

quæ primum locutus fuerat, disseruit, & dixit, Ergà eos qui sponte in eius potestatem venirent, se liberalem futurum, & eos qui se suæ potestati submittere recusarent, vi & virtute suo Imperio parere coacturum.

Dum Romanorum Duces Persarum Armeniam populationibus vexarent, aduenit Nadoës electus & à Cosroë missus, ad minorem quam vocant legationem obeundam. Hunc enim legatum per quem responsum ad legationem Theodori Bacchi daret Cosroës decreuit maximè quod paratus esset mittere primarios viros ad fines Orientis, vt cum his, quos Romani mitterent, prospicerent & viderent, qua ratione vltrò citróque arma abijcerent, modò illud ante omnia statuerẽt qui prior populus in causa fuisset, vt quinquaginta annorum induciæ violarentur. His prudenter Cæsar respondit, se quidem Regem Persarum qui senior esset, quippe qui se adhuc puero, in flore ætatis suæ constitutus foret, secuturum, & siue arma, siue pacem, vellet, vtrum elegisset, gratum acceptúmque habiturum. His dictis Cæsar Nadoem dimisit, nec multo post delegauit, ad

partes Orientis qui controuersa pacârent, & componerent. Eò quoque eius rei gratia, Persarum Principes conuenerunt: Fuerunt verò qui missi sunt à Romanis, Theodorus Petri filius, ante Dux numerariorum, tunc temporis thesaurorum Comes, quos largitiones Romana lingua vocant. Largos enim eos, qui liberalius profundunt ea quæ sua sunt, Latini vocant. Iohannes & Petrus ambo consulatus dignitate ornati. Præterea Zacharias in regiorum medicorum numerum relatus. Hi verò vbi Constantiam vrbem inter duo flumina sitam aduenerunt, Mebodem Sannachoerigam qui veniebat à Cosroë in locis circà Nisibin, & Daras expectarunt. Huic enim plenam pacis confirmandæ authoritatem Cosroës commiserat. Eodem fere tempore Cosroës Asterium (is erat vnus ex Imperatoris iudicibus, quos contrascribas vocaueris) occidit, quia deprehensus est, dum captiuus esset, clàm litteras scripsisse ad Imperatorem Romanorum, vt dum res Persarum afflictæ essent, eos adoriretur. Mebodes cum ad limites accessisset, certamen illi cum Theodoro & Zacharia, imprimis fuit, quo in loco conuenirent. Romani

petebant cõuentum agi infinitimis Daras locis, tanquam ad congressum maximè apti existerent. Contrà Persæ dicebant, quandoquidem ea vrbs iure belli Romanis subiecta esset, non à verisimilitudine alienum esse, omnem regionem circà illam eorum partibus adherere, neque illic ad colloquium conuenire oportere, quia minimè regio illa esset inter limitaneas censenda.

Post hæc, sic enim vtrisque visum, ad colloquendum conuenerunt in loco qui dicitur Atraelon, & cum illis quoque vtriusque reip. Principes, qui eas regiones incolebant. Illic in medium proposuerunt, quas vltrò citroque existimabant, habere se mutuo accusandi causas, quæ alter populus alteri damna intulisset aut bellũ facere præoccupasset. Itaque cum vtrique, plures sermones, super hac re iactassent; & vnus quisque abunde, quo se suæ patriæ, vt decebat, amantem & studiosum ostenderet iustas rationes, quibus eam tueretur & defenderet attulisset, tandem primi Romani concionem, apud conuentum habuerunt. Legati conuenientes & in vnum coadunati ad fines Orientis ab vtroque

regno, vt diſpicerent quomodo pacem firmam facerent, lubrica & ambigua verba, vtrimque emiſerunt, & quæ dici oportuit, dixerunt, & audierunt, & fortè quæ minime dici debuerunt. Tandem eò delapſi ſunt, vt diſputarent, vtri populo fœderis violatio attribuenda eſſet, & quod præſtaret eam orationis partem prætermittere, & rationem inueſtigare quomodo in poſterum, pax firmis conuentionibus, ſtabiliretur, & ambigua victoria, vtraque gens ab armis diſcederet. Statim Mebodes ſuggeſſit, Æquum eſſe Romanos pendere Perſarum reipubl. quotannis triginta millia aureorum. Sic enim conuentionibus cauebatur, quæ tempore Iuſtiniani Imperatoris factæ erant. Præterea Armenia & Iberia cederent, & omnes defectionis authores Regi Perſarum redderent, quos merita morte afficeret. Hæc & alia huiuſmodi Mebode proponente Romanorum legati ex parte Cæſaris contra diſſeruerunt, & confeſtim reſponderunt ſe pacis nomen non admittere. Sic enim ſibi à Cæſare mandatum, ſi contributionibus & tributi penſitatione Perſæ ſperarent in poſte-

rum Romanos ſibi obnoxios conſtituere. Nec enim Cæſarem permiſſurum illos quicquam pendere, neque pacem tanquam rem venalem emere, & ſi ita contingeret non diu permaneret, neque firma foret. Oportere igitur imprimis totum hunc ſermonem omittere, tum demum, quibus conditionibus pax vincienda ſit, aduertere. Rurſus ſuper his, cum vtræque partes, in multas altercationes erupiſſent, & Perſarum Principes, minime cederent, ſed obnixe, contenderent, iuſtum eſſe Romanos, præteritorum annorum penſionem, quæ ſingulis annis, triginta millium aureorum erat, à tempore, quæ conſtituta fuerat, vna ſolutione repreſentare, tandem Mebodem voluntas cepit oſtendere Romanis litteras Perſarum Regis nuper ad ſe ſcriptas. Hæ verò continebant ſe Cæſaris gratiam & amicitiam promereri velle. Itaque nulla pecuniarum habita mentione æquis conditionibus pacem faceret. Huius rei fama ſimul atque ad regiam vrbem perlata eſt, omnes lætati ſunt & Senatus & plebs, eamque animo opinionem præceperunt tempus aduenisſe quo enſibus

quietem indicerent & firmiter pacem colerent: maximè cum Cæsar Persarmenia & Iberia, Persis cederet. Sic enim statuebant, sic iudicabant, Persas etiamsi eorum res perditæ forent, & ad nihilum redactæ, nunquam quieturos quandiu his tantis regionibus priuarentur. Id tamen minime his, qui generationibus præerant, aut illis genere coniunctis, aut omnino vlli cuipiam, qui à Persis ad Romanos confugisset, eam rem fraudi fore, neque eos tradi. Imò non alia conditione pacem tenere, nisi liberum sit Persameniis & Iberis qui suam patriam reliquerint, ad Romanorum partes transire. Etenim Cæsar multum in eo sermone versatus est, sub Iustiniano Imperatore, iureiurando fidem datam esse Persameniis & his qui ex Iberia migrauerant. Atque adeò ipsum Imperatorem iurasse quantum in se esset, omni ope annisurum, quò terram quæ ipsos aluerat, sibi subiectam efficeret. Neque tamen si bellum, ad finem vsque perducere non posset, defectionis authores, aut qui ex eorum genere & cõsanguinitate essent, aut alium quẽquam, & vt omnia verbo complecteretur, qui

particeps reip. Romanæ fieri vellet vnquam deditum iri. Grata & iucunda res Persarum Regi contigit Romanos non renuere Armenia & Iberia cedere, modò harum regionum incolis quò vellent, ire habitatum, potestatem faceret. Nec sine ratione meò quidem iudicio. Satis enim nouerat paucis exceptis, ex principibus qui defectionis ad Romanos authores fuerãt, fore vt reliqui amore & desiderio terræ altricis capti (hoc enim natura omnibus hominibus ineſt & eorum animos pungit) minime ad exteros demigrarent. In spem etiam adducebatur bello posito in cõmodiorem statum res redactas iri. Præterea regiones ipsæ erant fæcundæ & omnium quæ ad vitam necessaria sunt, feraces, vnde ampla tributa & vectigalia colligi poterant. Itaque Persarum Regi placuit his conditionibus à bello discedere. Ad hęc ne qua in posterum restaret belli causa, Cęsari venit in mentem cogitare, vt pro Persarmenia & Iberia, oppidum Daras à Persis vicissim acciperet. Non quod in eo oppido quæstum faceret. Nec enim est vrbs huiusmodi vt ex ea magna vectigalia percipi possint aut satis valida & munita, vt propugnaculi loco

eſſet, aut tutum perfugium præbere his qui in Oriente Romanorum partes ſequerentur, poſſet: ſed hoc aduerſis Romanorum rebus ſolatio eſſet, quod & vnà ſua recuperarent, ſimul & nullam belli ſcintillam relinquerent. Ea de cauſa Daras ſibi ſeruare, aut peçuniis aut alio quouis modo ſtudebat. Pacem igitur facere æquis conditionibus, antequam bello in Armenia decertaretur lubebat & aſſentiebantur Perſæ. Sed non prius ceſſuri erant Romanis oppido Daras, aut nulla, aut quantula cumque accepta pecuniæ quantitate, quàm conſtaret, Romanos Armenia & Iberia exceſſiſſe. Dum hæc legati inter ſe diſceptabant pugnatum eſt in Armenia in qua pugna multum ſua ſpe exciderunt Romani. nam victi cæſique ſunt. Itaque cum Perſæ ex ſecundis ſuis rebus, ſpiritus ſumpſiſſent, Rex eorum dixit ſe nunquam paſſurum, vllam mentionem de oppido Daras, Romanis dedendo fieri, quod vi & virtute cœpiſſet, & quo ſibi proprium vindicaret, munijſſet. Romanos verò adhuc contra fœdera, poſſeſſioni Perſarmeniæ & Iberiæ incumbere, & earum regionum incolas, qui à

Persis deficiebant, tueri & susscipere. Itaque barbarum qui satis alioqui sua sponte arroganti & elato animo erat, secundæ res, quæ illi euenerant ferociorem reddebant. Minabatur etiam antequam tres anni elaberentur, quibus induciæ tunc temporis durabant, intra quos pacem fieri per Orientem placuerat, fore vt arma moueret, imo & bellum per Occidentales regiones circumferret: sed prius aurum quod Romani pro induciis impetrandis quas Zacharias pepigerat, pependerant ad rationem eius temporis quod de triennio supereſſet restituturum, & ita se bellum renouatum gesturum. Hanc cum Regis Persarum sententiam esse Mebodes renuntiaret; Romanorum principes se quidem minime inducias & fœdera transgressos esse dixerunt, nec pactum esse vt liceret alteri partium, restituto omni auro aut aliqua eius parte, tanquam ei qui mutua profitetur, fœdera per medium rumpere. De hac re tamen secretò Mebodes & Zacharias ibidem conuenientes collocuti disseruerunt. Deinde hi duo viri, communicato consilio, inter se proposuerunt, quæ ad eam rem pertinere, exi-

ſtimauerunt. Tum etiam alter alterum percunctatus eſt, conuentiones quibus inter vtramque gentem Pax & concordia eſſet. Et Mebodes valdè aſſeueranter affirmauit, ſibi in animo eſſe, quæ maximè Cæſari expedirent proponere. Et quæſiuit, quandoquidem Zacharias vnus ex intimis & neceſſariis Imperatoris erat, an fieri poſſet, vt aurum ſi quod eſſet conuentum, pro ciuitate Daras, clàm omnibus, & nemine id reſciente ſolueretur. Zacharias dixit. Hoc ſibi à Cæſare præceptum, non coràm omnibus, neque quemquem alium huic mandato adhibitum, quàm Mauricium Pauli filium qui Cæſari bene ex animo cupiebat, & tunc temporis Principis rationes curabat, vt ne quidem vllus Imperatoris ſcribarum quicquam de ea re ſcriptum haberet, quò Cæſaris conſilia ſecretiora & occultiora eſſent. Itaque ſcripſerit Zacharias, ô Mebodes tè dicere Regem Perſarum accepturum pecunias pro redemptione vrbis Daras. Cæſar iubebit, nulla mora interpoſita pecuniam numerari. Hæc cum non aperte quidem, ſed obſcurioribus verbis Zacharias Mebodi indicaret, reſpondit

Mebodes. Nihil sibi à Rege Persarum de ea re mandatum, neque omnino Rex patietur aut feret Daras pro pecuniis restitui. Nihilominus tamen conuenta res est & quibusdam iuramentis fides præstita: si conuentiones, vt tunc se habebant, manerent, Regem deinceps Cæsari petenti Daras tanquàm peculiare donum vrbem traditurum. Qua in re satis apparebat eum minime salutaria Romano Imperio sentire, & quæ à vero abhorrebant, dicere. Nam eo tendebat, vt Romani sine vlla pugna Persarmenia & Iberia excederent. Deinde sibi Daras tradi peterent quod minime obtinerent, quia Persæ ea quæ in posteriori colloquio constituta essent, ambigua interpretatione in contrarium sensum traherent, & minime robur habere diceremt. Sicut & prius quantum ad Suaniam Petrus deceptus fuerat à Zicho, idem quoque Mebodes volebat facere. Vbi vero vidit Zachariam cautiorem neque posse hominem quo volebat pertrahere, alia aggressus est via, vt omni fraudis genere Romanos circumueniret. Itaque paulo post Zachariam conuenit & spebus inuoluit pacem futuram,

& Regem Persarum consensurum Daras reddere, vt spe pacis Cæsaris alacritas & belli cupiditas langueſceret. Dum in istis sermonibus legati vtriusque gentis occupati tempus terunt, interea bellum in Oriente in suspenso fuit. Circa quartum Imperij Tiberij Constantini annum centum fere millia Sclauorum in Thraciam irruperunt & Thraciam multásque alias regiones prædati sunt.

Cæsar misit in Italiam, magnam auri quantitatem, vsque ad centum triginta pondo, quæ Pamphronius nomine, dignitate patricius à seniori Roma ad Imperatorem attulerat. Is tunc ad regiam venerat, vt precibus à Cæsare impetraret, vt Italiam, à Longobardorum excursionibus oppressam, in libertatem vindicaret. Cæsar verò, cui omnia præ bello Persico nullius momenti erant, quippe qui totus in illud incumberet, exercitum mittere non potuit, neque bellum in Oriente & in Occidente simul sibi gerendum statuit. Sed pecunias dedit Pamphronio, quibus, si qua posset, aliquos Longobardorum persuaderet ad Romanos transire, vnà cum eorum exer-

citu, & Italiam minime turbare. Quod efficerent si in Orientem arma vertere vellent, & Romanis auxilium ferre. Si Longobardi renuerent, vt verisimile erat bellatum foris ire, Francorum Ducum aliquos mercede sibi socios adiungeret & hac ratione Longobardorum potentiam labefactaret & infringeret.

Etiam si Romani, nullas excursiones, in Persas facerent, eos tamen Medi veriti, vt anteuerterent, Castellum Thanarium dictum, nudatum præsidio Romanorum inuadentes, occuparunt & domum reuerterunt & cum nihil dignum tam impudenti Persàrum motu effecissent, minimè tanta damna, quãta initio sibi proposuerunt, Romanis intulerunt.

Hæc vbi certo Cosdrus resciuit, & Mebodem Cosroëm in eam mentem impulisse vt non expectaret diem qua finiebant triennales induciæ, quæ in Oriente conuentæ fuerant, & imperasse Mebodi & Sapori, Merani filio, inuadere Romanorum ditionem in Oriente, siue hoc Cosdro mandatum fuerat à Cosroë, siue sua sponte, apud se eandem rem animo voluisset, tanquam scilicet secundam anchoram inijciens, à cantu & cithara

conuersus, in Romanorum ditionis regiones quę ad Orientem erant, impetum fecit, circa Armeniæ aditus duplicem tumultũ & terrorem oblaturus. Cum Romani Clhomarorum oppidum obsiderent & armatis hominibus cingerent, & machinas quibus vrbes capiuntur, admouerent, cuniculi quoque subterranei in apertum ex superiore loco apparerẽt, Biganes misit vrbis Episcopum, (erant enim omnes Christiani ex Arxanene) quem Romanos, quia Christiani erant, maiore reuerentia, & honore excepturos, existimauit, vt quia sacrorum Princeps esset, Mauricium, qui illis initiabatur, suppliciter oraret, accepto quicquid apud obsessos erat auri & argenti, Romani obsidionem soluerent, neque vltrà in vanum laborarent. Neque enim vnquam quandiu Bigani solem intueri liceret, se se aut Christianos qui in oppido essent tradituros. Quod si obsidionẽ cõtinuarent, fore vt Christianorũ multitudo periret. Ex quo fieret vt Romani impij erga Deum essent, qui nullam rationem haberent Christianorum, qui intra oppidum essent, qui sine vlla sua culpa miserè perirent. Hæc Biganes palàm prædicauit.

dicauit. At Mauricius, cum illi fides apud Episcopum ob beneuolentiam esset multa cum illo, & cum his, qui vnà ad exorandos Romanos venerant, quibus Biganem ad id quod optabat adduci posse existimabat, differuit iussitque renuntiare Bigani, si se Romanis traderet, in maiore honore apud Romanos futurum, quàm nunc apud Persas sit, & possessionem duplo amplioris valloris & alterius cuiuslibet pretiosæ supellectilis dominium adepturum: pluraque alia ad eam rem pertinentia, quibus illum alliceret, dictitãs dimisit sacerdotem & eos qui cum eo erant, vt in vrbem reuerterentur. Sed Biganis summa erat erga Regem & remp. Persarum voluntas, & si non multum loco confideret. Itaque quamuis barbarus esset, maximis Mauricij pollicitationibus minime aures præbuit, neque de recto mentis statu deiectus, ab honesto recessit. Iustam enim & legitimam seruitutem erga eum qui regno præerat, longe diuitiis honorabiliorem duxit. Quãobrem iterum Aquiminaria & pocula & alia prætiosiora mobilia quæ Dei cultui inseruiebãt ad Mauricium misit orans vt ea pro oppidi redem-

ptione ſumeret & ab obſidione deſiſteret. Sed Dux vbi hæc vidit, etiam ſi talia eſſent, vt eum permouere potuiſſent, tamen contempſit. Illuc enim dixit ſe veniſſe, non vt ſacra expilaret, aut Chriſto bellum faceret, ſed potius vt Chriſto opitulante & fauente bellum gereret & recta de fide ſentientes contra Perſas, qui à vera Dei cognitione aberrabant in primo authoritatis gradu collocaret.

Deinde quædam ſecreto cum ſacerdote quæ ad negotium quod inter eos tractabatur, pertinebant, collocutus conceſſit vt rurſus in oppidum rediret. Poſtremo vt in oppidum ſacerdos rediit nihil quicquam quod ad ſententiam barbari accederet, & illi gratum eſſet retulit. Itaque barbarus Perſarum res ſaluas facere contraria ratione, ſtatuit. Comprehenditur igitur ſacerdos & hi qui cum eo erant, iuſſu ducis. Romani verò obſidionem continuarunt.

Italia tota ferè à Longobardis eſt euerſa & diruta. Itaque nonnulli ex Senatu ſenioris Romæ, cum quibuſdam ſacerdotibus, quos qui ſummæ ſacrorum præerat delegauerat, ad Imperatorem legati venerũt, orantes vt his partibus ſubue-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [286] - 258

niret. Sed Persicum bellum hoc tempore in Armenia & in Oriente erat, quod non modo non intermittebat, imò magis ac magis in ardentiorem contentionē ingraueſcebat. Eò factū eſt vt Imperator, nullas mitteret idoneas copias quæ illarū partiū rebus ſubleuandis ſufficerent mittere. Verumtamen delectu vt res tulit, habito exercitum quem potuit miſit, atque etiam omne ſtudium & diligentiam adhibuit, quo Longobardorum Duces donis demereretur, quos magna illis præmia retributurus, ad ſuas partes traduceret. Itaque plerique ex Longobardorum potentibus ab Imperatore ſe remuneraturos iri ſperantes ad Romanos defecerunt.

Baianus Abarorum Chaganus, eodem anno, Targitium ad Imperatorem, qui præſtari ſolita ſtipendia exigeret, miſit. (Erant autem octuaginta millia nummorum, quæ quotannis pendebantur,) & vbi de mercede cum his qui pecunias deferrent, conueniſſet, auro ablato, rediret. At Barbarus. & ſi nulla illi præbita eſſet occaſio aut cauſa, ne falſam quidem accuſationem in Romanos commiſci dignatus, impudentiſſime, qui bar-

baris mos est, fœdera quæ cum Tiberio, initio eius imperij, fecerat, rupit, & cum omni exercitu mouens, inter Sirmium oppidum, (hoc ex insidiis capere cogitabat) & Singidonem castra ponit, & fluuium ponte iungere suscipit. Cum autem timeret, ne à Romanis impediretur, qui vt vrbem custodirent, in præsidiis erant, & illi in suspicionem veniebant, propterea quod, multum vsum & scientiam nauium fluminis habebant, aliquandiu fallere noluit: sed postremò eo decidit vt rem apertè exequeretur, & multa vectoria grauiáque nauigia in Istro, per superiorem Pannoniam coëgit, ex quibus, quæcumque nanciscipotuit, non quidem, ad artis nauium ædificandarum rationem, tamen naues ea magnitudine, vt ad bellum aptæ essent, extruxit, & eas hominibus armatis, & remigibus instruxit. Hi barbarum in morem, inconditis ictibus, aquam verberantes, crebros sulcos, in flumine excitabant: ita cum omnibus Abarorum pedestribus copiis, per Sirmianam insulam, cursum tenuit, & ad Saum peruenit.

Hoc conspecto apparatu, Romani,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [288] - 260

qui in vrbibus in ea parte ſitis habitabant, cum ſuis rebus à proditione timerent, vehemẽter ſunt perturbati. Erat Sethus Sigidone præfectus. Is ad Chaganum miſit, qui ex ipſo quęreret, quoniam pax & amicitia illi cum Romanis eſſet, quid ſibi vellet, quod ad Saum veniſſet. quem ſi ponte iungere inconſulto Imperatore tentaret, non negligeret. Ille nõ vt quicquam mali Romanis machinaretur, pontem ſtruere ait, ſed vt contra Sclauinos expeditionem ſuſciperet. Se tranſmiſſo Sao, Romam iturum, inde ſibi in animo eſſe, multis ad traiectionem, ab Imperatore Romanorum impetratis nauibus, rurſus Iſtrum traiicere. Ille quidem anteàin gratiam Romanorum Imperatoris hæc fecerat, & multa Romanorum millia, qui ſeruitutem apud Sclauinos ſeruiebant, libertate donata, Romanis reſtituerat. Nũc verò dicebat, ſeà Sclauinis iniuria affectum, quia nollent tributum quotannis conuentum & per eas partes indictum ſibi ſolui, tum etiam quia Abarorum legatos à ſe miſſos ſuſtuliſſent, & eam eſſe cauſam cur ad Saum conſediſſet. Itaque Sethum excipere iuſſit legatos, quos ad Imperatorem

mittebat, qui peterent, vt ſibi in Sclauinos traiecturo naues per Iſtrum præpararet. Adiecit ſe per ea quæ & apud Romanos, & Abaros ſanctiſſima habentur, paratum iurare, nullum damnum cogitare aut Romanis, aut oppido Sirmio inferre. Sed tantùm, quò ſibi aditum ad Sclauinos patefaciat, pontem facere inſtituiſſe. His quidem Sethus & Romani, qui Singidone erant, minime fidebāt. Sed ſe idoneo exercitu inſtructos, aut à militibus (paucos enim habebant) aut à nauibus velocibus minime ſatis paratos eſſe cogitabaut. Hic enim motus de improuiſo & præter ſpem acciderat. Itaque Chaganus cœpit deteſtari, & teſtificari, ſe velle conuentis inter ſe & Romanos pacis conditionibus ſtare, & quoniam in communes ſuos & Romanorum hoſtes pergat, minimè ſe opus pontis conſtruendi intermiſſurum: Quod ſi quis Romanorum audeat, vel vnum telum coniicere in eos, qui vt ponti ædificando manum admouent, ſatis perſpiciunt, vt cum ab eis fœderum violandorum initium cœperit, ſi quid inde Romanorum reſp. detrimenti in bello quod Abarorum gens geret, capiat, fore vt in

nullo Abari sint reprehendendi. Hoc veriti Romani, qui Singidone erant, Chaganum ad iusiurandum prouocarunt. Itaque confestim Abarico ritu iusiurandum ad hunc modum præstitit.

Ense educto, & in altum sublato, sibi & Abarorum genti, dira est imprecatus, si quid mali comminisceretur Romanis, in eo quod pontem super Sao flumine facere susceperat, vt ipse & vniuersa gens, ad internecionem vsque periret, cœlum ex alto super ipsis, & ignis Deus, qui in cœlo est, rueret; Syluæ & montes, casu & ruina illos obterrerent, Saus fluuius, superscaturiens, eos submergeret: Hæc vbi barbarus emisit, nunc ego, inquit, iusiurandum Romanorum volo iurare. Tum quæsiuit ex ipsis quid esset, quod sanctum, quod religiosum ducerent, per quod iurantes, si fallerent, Dei iram minimè euitaturos crederent. Qui in Singidone vrbe summam sacrorum potestatem habebat, statim sancta Biblia, quæ in medio continebant, sacrosancta Euãgelia, protulit. Et ille quidem occultans ea quæ mente voluebat multo cum tremore, & magna cum reuerentia præ se ferens ea suscipere, procedit è cathedra,

tum alacri & prompto animo, in genua prouolutus, Iuro, inquit, ſecundum proferentem, in verba, quæ habentur in ſacris Dei chartis, me in nullo eorum quę prolata ſunt, mentiri & fallere. Itaque Sethus admiſit legatos ab eo miſſos, & ad Imperatorem Tiberium in Regiam vrbem tranſmiſit. Dum legati iter peragunt, & ad Imperatorem aditum præſtolantur, Caganus interea opus non intermiſit, ſed omni cura, ſtudio & diligentia, toto vt dicitur Abarorum exercitu, in eam rem incumbente, pontem ſuper Sao flumine abſoluit. Etenim perficere opus ſtatuerat antequam ea res ad Imperatoris cognitionem veniret, ne ſi reſciret, ædificationem diſturbare tentaret. Itaque profecti Abarorum legati in Regiam vrbem, ad Imperatorem, petierunt vt naues præpararet Chagano & Abarorum exercitui, quibus Iſtro traiecto in Sclauinos moueret. Etenim Chaganum fidentem amicitia, quæ illi cum Romanis erat, pontem ſtruxiſſe ſuper Sao flumine, propoſitumque habere, communes ſuos hoſtes & Romanorum conterrere & labefactare. Hæc legatis nuntiantibus, ſtatim apertè, Imperator

cognouit conatum& mentem Chagani. Cum enim oppido Sirmio potiri cuperet, pontem fecerat, vt oppidi incolas, omnium rerum commeatu intercluderet, & fame ad deditionem compelleret. Nam cum Imperator minimè diffideret Abaros, Sirmium oppugnaturos, (pax enim illi cum eis erat) in vrbem cõmeatus, ad obsidionem tolerandam idoneos, inuehi non curauerat. Præterea copias non dico, quæ satis essent ad resistendum Abaris, sed ne minimas quidem omnino habebat. Etenim omnes exercitus quos conscripserat, Persico bello in Armenia, & Mesopotamia, occupati erant. Quæ tamen omnia dissimulabat, tanquam non intelligeret quò Chaganus tenderet. Itaque Imperator respondit, se quoque velle Sclauinos, quoniam plerasque Romanorum regiones prædati fuerant, & latrociniis vexauerant, bello persequi. Sed tunc temporis non opportunum esse Abaris eam expeditionem suscipere, quia Turci Chersonem, cum exercitu obsidebant, neque satis spatij ad Istrum traiiciendum daretur. Itaque commodius illis esse, supersedere& differre expeditionem in aliud tem-

pus. Quid velint Turci & qua mente traiecerint, se breui cogniturum, de quibus omnibus Chaganum certiorem facturum. Hæc non latebat Abarorum legatum, è re nata, ab Imperatore conficta, qui obiecto Turcorum metu, Chaganum abducere ab incepto opere sperabat. Legatus visus est persuaderi, & promisit effecturum, vt ab ea mẽte Chaganus desisteret. Itaque legatus, qui præcipuè Chaganum ad bellum Romanis inferendum impulerat, ampliſſimis donis acceptis, quibus leniretur, è regia vrbe proficiscitur. Sed cum per Illirium iter faceret, & pauci Romani ad eum tutandum essent præmissi à Sclauinis, excursiones in eas partes facientibus, contigit vt occideretur. Non multis interiectis diebus, ecce alter legatus venit à Chagano in regiam vrbem Solachus nomine, qui apertissima & nuda impudentia ita locutus est: Ponte iunctum fluuium Saum superuacuum existimo affirmare. Manifesta enim is qui probe scienti narrat, vituperatione dignus est. Neque verò, vlla aut machina aut arte Romani pares sunt Sirmio oppido ab obsidione liberando, non commeatum, non

aliam vllam quampiam rem, quæ obſeſſis leuamento ſit, flumine, quod ponte iunctum eſt, in vrbem inuehere poſſunt. Supereſt vt tantam Romanorum multitudinem illuc mittant, quæ vi & fortitudine poſſit Abarorum exercitum ab obſidione depellere & pontem deiicere. Itaque Imperator conſultius faceret, ſi pro vna minimè celebri vrbe, magis pro vna olla (ea enim dictione dudum vſus fuerat) à bello in Abaros & Abarorum Chaganum gerendo abſtineret. Atque contentus educere ſaluos & incolumes omnes milites Romanos, & vrbis incolas, vnà cum ſuis rebus, quicquid earum efferre potuerint, vrbe, quod ad reliquum attinet, nuda & deſerta Chagano cederet. Abaros enim vereri, ne Romani ſtare pacis conditionibus in animo habeant, tantiſper tantum, dum bellum quod cum Perſis gerunt, confecerint. Quo demum confecto, omnibus viribus in Abaros impetum faciant. Quod ſi eueniat, habituros ipſos hanc vrbem promptiſſimum aduerſus Romanos propugnaculum, vt non interiecto fluuio maximo aut alia loci difficultate omnino impediantur. Cæterum perſpi-

cuum&apertum esseImperatorem commodi Abarorum, nullam habuisse rationem, qui etiam pace constituta, oppidum Sirmium validioribus mœnibus cinxerit. Frui quidem Chaganum donis, quæ singulis annis accipit ab Imperatore, sed etiamsi suppetant opes, & facultates, aurum, argentum & plurima serica vestis, vita & salus quæ longè ceteris rebus est potior, magis his omnibus est paranda. Denique vetera cogitanti & animo repetenti, repperit Romanos multas gentes in his locis donis & muneribus ad se acciuisse& pertraxisse, quas deinde tempore procedente subegerunt & funditus euerterunt. Se verò neque donis, neque denuntiationibus, neque vlla alia re moueri posse vt desistat ab incepto, neque quieturum donec vrbem ceperit, & omnem Sirmianam insulam, in ea habitatoribus & colonis collocatis, propriam sibi fecerit. Seque iure id facere, quia Gepidarum prius hæc insula fuit, quorum res & vrbes iustius Abari sibi vindicare possunt qui eos deuicerunt, quàm Romani. Hæc Imperatorem valde perturbarunt, & grauiter eius mẽtem ira dolori immixta perculerunt,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [296] - 268

quod ſatis oratione qua vſus eſt vt res ferebat, declarauit cum ita reſpondit: Neque copiis, neque fortitudine manus, neque prudentia nos Chaganus circumuenit, ſed eum, pacem & Deum, per quem iurauit, deluſiſſe, omnibus manifeſtum eſt. Nihilominus illi perfidiam pro perfidia rependere, non conſtitui. Sed potius vnam ex filiabus quas duas habeo, illi deſponderem: quàm Sirmium oppidum volens traderem. Quod ſi vi expugnarit, illum Deus vltor, cuius numen deierauit, & violauit manet, aut nũquam Imperio Romano præeſſe me exiſtimauero. Neque vero ideo minus, dimiſſo legato, vrbi ſuppetias ferre quoad potuit, præparauit. Etenim vt ſuperius dixi, nullas habebat copias, itaque exercituum præfectos Duces & turmarum ductores, hos per Illyrium, alios per Dalmatiam mittit, vt præſidium vrbi imponerent & quoad fieri poſſet, cuſtodirent.

Theognis vbi in Caſiam & Carbonariam inſulas peruenit, ſermones ad ſe vt fœdera fierent, delatos excepit: itaque Baianus aduenit, & de equo deſcendens, in Cathedra aurea quæ illi appoſita fuit, ſedit ſubtextili gemmis adornato, quod

illi fuerat præparatum, tãquàm tectum. Antè pectus illius, & vultum, propugnaculi vice erat obiectum scutum, ne à Romanis fortè confertim in eum tela iaculantibus appeteretur. Etenim qui cum Theogni erant, non longo interuallo, distabant, à loco vbi Baianus sedebat, & ex quo cũ illis loquebatur: itaque Hunni interpretes clara voce fidem datam per inducias pronuntiarunt. Tum Baianus dixit oportere Romanos illi citrà pugnam Sirmio cedere, quia nihil illis opis iam reliqui erat, neque efficere possent, quo minus oppidum caperetur. Iã enim vrbem res necessariæ deficient, impedita ab vtraque parte, frumenti inuectione, neque Abarorum multitudinem, vllis laboribus defatigari, vsque dum vrbem suæ potestati subiiciant. Proposuit etiam aliquam verisimilem causam cur Abari desiderarent vrbis dominium adipisci, ne transfugæ ex Abarico exercitu, quia vrbs esset illis contermina, ad Romanos receptum haberent. Cum hæc ad hunc modum locuti essent contra respondit Theognis, imprimis se non prius à bello recessurum quàm Abaricus exercitus cesserit, neque

alia conditione Baianum ſperare debere ſe facilesRomanos ad ea quæ vult reperturum. Hæc inter ſe altercantibus & concertantibus apertè fœdus Theognis icere recuſauit & dixit Baiano, vt ſe ab oculis Romanorum ſubduceret,& arma ad pugnam capeſſendam caperet, tanquam craſtina die, ſine vlla dilatione manus illi ſecum conſerendi poteſtatem facturus. His dictis abierunt.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [299] - 271

EX EIVSDEM MENANDRI HISTORIA.

MEDI in Colchorum regionem, de qua certabatur, irruerunt, vt ipsam sibi subiicerent, & post multa & varia certamina, multumque tẽporis consumptũ nihil quicquã aliud profecerũt. Etenim quamplurima oppida Lazices, maximè verò Phasis vrbs, vbi quondam, vt aiunt, Aetes regia fuit, nihilominus semper remanserant in fide & potestate Romanorum. Itaque Romanis & Persis à detentione siue oppidorum munitorum, siue aliarum rerum, quæ quisque bello quæsierat, discedere minimè placuit, sed in possessione remanere donec controuersa cum maiori causæ cognitione & sine armis diiudicarentur. Interea inducię essent, quæ ad perfectã pacẽ spe ducerent, & dum starent, potentio-

res

res vtriusque Imperij, quietos se continerent. Hæc ita gesta sunt, quo tempore, Hunni qui Zabergæ parebant; cum longè ab Imperij Romani finibus fuissent remoti, & Iustinianus suspicaretur Contraguros, iterum Thraciam populationibus vexatum venturos, totus in Saldichum Outigororum Ducem incubuit, quem frequentibus legationibus hortari non destitit, & omni ratione ab eo contendere, vt Zabergam bello lacesseret. Proponebat autem Imperator per legatos, quos ad Saldichum mittebat, si Contraguros debellasset, ad ipsum annuas pecuniarum præstationes, quæ quotannis Zabergæ pendebantur rediturás esse. Itaque Saldichus, tametsi necessitudinem sibi cum Romanis esse cuperet, Imperatori significauit, minimè sibi pium, aut decens fore omnes suos cõtribules, ad internecionem vsque delere. Per hæc inquiebat hoc assequeremur ne superessent, qui eadem lingua, atque nos vterentur eadem habitatione, eodem vestitu, atque eadem viuendi ratione, denique hi quoque sunt nostri consanguinei, quamuis aliis Ducibus pareant. Nihilominus Iustinianus sua imperata valere

volebat. Quamobrem Contraguris qui illi minimè dicto audientes erant equum ademit, & hunc, ait, mihi proprium vindicabo, ne habeant, quo vecti & insidentes Romanis noceant.

Amingus Francus, castra locauit ex aduerso fluminis Athesis, quod Romani transire cõstituerant Hoc cognito Narses Pamphronium qui vnus ex Patriciis Imperatoris erat, & Bonum Priuatæ rei comitem, legatos ad Amingum mittit. Per hos denuntiauit Amingo, ne Romanorum rebus officeret, neque iterũ bellum contrà Romanos gereret. Inducias enim per id tempus esse inter Francos & Romanos. Amingus verò respondit, se non illi traditurum telum, quandiu sibi manus, qua illud iaculari posset, superesset.

Per Orientem & Armeniam Pax plane est perfecta. At per Lazicem, Romani inducias pepigerũt, & parum aberat, quin de omnibus, quæ ad perfectam Pacis cõstitutionem pertinebant, conuenissent. Itaque tandem hanc, omnibus numeris absolutam, & quæ in perpetuum obtineret facere, Romanorum & Persarum Reges, desiderium cœpit. Huius rei gra-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [302] - 274

tia Iustinianus Petrum prætorianarum cohortium Prefectum, ad Cosroëm mittit, qui de pace in vniuersum ageret. Is ad fines circa Daras accedens significauit Orientalium barbarorum Regi se illic adesse, vt de armis ab vtraque parte ponendis fœdere conueniret. Illuc quoque missus à Persis legatus dignitate Zichus, quæ maximæ est apud Persas authoritatis, nomine Indegouach qui erat etiam sui Regis cubicularius aduenit. Legati igitur conuenerunt, & vnà quoque cum illis ipsarum regionum viri primarij, vt de his rebus deliberarent sunt cõgregati. Apud quos Petrus Romanorum legatus omnibus disciplinis vt nihil quicquam addi posset excultus, sed præcipuè, in iure versatus, ita dixit, Adsumus, ô viri Persæ, à Romanorum Imperatore missi. Quis vero & qualis sit noster Imperator superuacuum est dicere. Etenim eius opera vobis virum demonstrant & indicant. Adsum igitur, vt iam initas & factas conuentiones ad perfectam & absolutam pacem traducam. Ego vero primum quali & quàm potenti cum populo firma & inuiolabilis amicitia contrahitur, vobis ostendere volo,

Quod si multus in dicendo & magna proferre videbor, tamen quia quod Romanis & Persis conducit tollicite est inquirendum, ne quæso grauiter feratis, aut orationis longitudine offendimini. Nec enim ea, ne quidem quamuis longa oratione pro dignitate exponi possunt, & laudem à vobis consequar cum res ipsæ vos docuerint, eam quam ex oratione mea capietis vtilitatem. Vos igitur fœdus & amicitiam contrahetis cum Romanis, sufficit verò dicere Romanos. Etenim hac sola denominatione, reliqua facile intelligũtur. Oportet igitur, quando quidem vos cum tam potenti gente fœdus initis, neque de rebus parui momenti consilium habetis, honestissima & vtilissima quæque capessere & pro incertis belli, satis notum omnibus mortalibus bonum, pacem amplecti & seruare. At ne qua blanda cogitatio vos deludat, tanquam Romanos viceritis, elati, quod Antiochiam & alia quædam ignobilia loca quæ Romanorum erant, ceperitis, in hoc Deus fœlicitatem Romanorum quæ nimia erat, puniuit, neque hominem homini multum præstare debere iudicauit. Quod si quod natura iustum

est dominaretur, nihil opus esset, neque Rhetorum, neque legum cultu, & diligentia, ne quidem concionibus, aut orationum vbertate, quæ in his vsurpatur. Spontaneæ enim res violentis, & quæ aliunde proueniunt præferendæ. Sed omnibus mortalibus est insitum natura, vt nos iusta facere & persequi existimari velimus: vnde manant, & profluunt nobis orationis copia & illecebræ. Quorsum enim collocuturi conueniremus, nisi vt vnusquisque nostrum euincat orationis vi & grauitate se iustum esse? Pacem verò bonam esse, bellum autem rem malam, nemo dubitat, etiamsi, contrà id quod vulgo homines opinantur, certum exploratumque haberemus nos victoriam adepturos. Opinor eum qui vicit, infœliciter agere, quod crescat, & auctior fiat his quibus alij in luctu & mœrore sunt. Et sanè vincere est molestum, etsi vinci est molestius. Itaque noster Imperator misit nos, vt fœdera vobiscum iniremus, & priores deprecaremur, vos bellum deponere: non quòd timeat aduersam belli fortunã, sed ne eum præueniatis in pace quæ vsque adeò nobis chara est, petenda. Itaque quoniam

ſtat ſententia motus bellicos compeſcere, ne noſtra nobis mutuo accepta infortunia longioribus ſermonibus exaggeremus & exprobremus (alienum eſt enim ab omni rep. bene conſtituta, non commoueri caſibus, qui in bello accidere poſſunt. Vnuſquiſque veſtrum quæsò ante oculos ponat, & apud animum ſuum contempletur, & effingat, tãquam præſentes eos, qui cadunt, cum eiulatus emittunt, lamentantur, lhetales plagas exhibent, Deûm hominúmque fidem ad ſui commiſerationem, implorant & dominantes incuſant, quaſi eorum conſilio ſubditi pereant. Deinde etiam ſuperſtites conſideremus. qui mœrore cõficiuntur, propter eos quos in bello amiſerunt, forte parẽtes, forte liberos, vt plurimum certè amiciſſimos quoſque, aut alium quemuis. Denique ex omni parte res humanas animo luſtremus, viduatas viris domos, & infirmiſſimam ætatem, patribus & matribus orbatam, & paſſim diffuſum per omne cognationis nomen luctum. Nam & ſi dederimus, honeſtum eſſe mori pro patria, tamen ſummæ dementiæ eſt nolle, tametſi poſſimus, ſine periculo, terræ altrici gratiam referre, vt

ex crudeliter cæsis hostibus, gloriam reportemus. Opinor Persidem terram & Romanam, si possint vocem emittere, hoc à nobis postulaturas fuisse. Ne verò quisquam vestrum, causam non deponendorum armorum, obtẽdat, & dicat, minimè arma deponi debere. Pacem quidem rem honestam esse, sed haud inuentu facilem, & quæ nisi cum magna difficultate comparari potest. Nec enim vt multi existimant, pessima quæque promptè & vltrò, in sinu hominum aduolant, optima diffugiunt, & sese à nobis subtrahunt tanquam natura comparatum sit, vt vix apprehendi & teneri possint. Pax enim ex omni parte bonum censetur. At Persarum Zichus ita respõdit. Ego quidem vestris verborum præstigiis mouerer, nisi vos Romani, & nos Persæ essemus. Itaque cum tales quidem sitis, ne existimetis vestras orationis illecebras & verborum circuitus, quibus vtile in medium profertis, nobis ignotos esse. Quemadmodum autem, per pacem, quam proponitis, colorem timiditati vestræ quæritis, & ita vestrũ dedecus, quod satis vndique patet & manifestum est, tegere putatis, paucis ostendam. Etenim

viro Persæ insolens est superfluis verborum ambagibus, extra propositum egredi & excurrere. Cosroës omnium hominum (sic enim illi lubet) Rex, quod Antiochiam cæperit haud id sibi ornamẽto & laudi tribuit. Vos quidem quod gessimus, magnum aliquid, & quod nostri terrorem pariat existimatis, nos verò non item. Non enim rem operæpretij ducimus, si qualemcumque hostem deuicerimus. Etenim eximiè vincere didiscimus, cum reliquum hominum genus à nobis vinci didiscerit. Neq; alterius ex Romanis vrbibus expugnatio nos vnquam ad altiores spiritus extulit. Hoc enim in nobis minimè mirum, quippe quod vsitatum, & in promptu est. Atque hoc sufficiat, ad reprehensionem nugarum, quas frustra effudistis. Romani verò, quod cõsueuerunt faciunt, qui primi cum Persis de pace colloquium instituunt, nostrum est quid facto opus sit agitare animo. Vos autem in eo vincitis quod pacis petendæ celeritate preuenitis, & acceptum ex bellis dedecus, hac ratione tegitis, & in eo humanitatis laudem affectatis, quod à pugnando abhorretis. Id quidem & nos, si quando tardius mentionem pacis feci-

ſtis etiam vincentes fecimus. Itaque & pacem magni æſtimamus & ſermones pacis admittimus. Magnifica verò & nobilis cogitatio eſt res decoro & honeſtate metiri. Hæc Zichus & amborum legatorum interpretes, ab vtriſque prolata explicãtes, ea quæ vna quæque pars ſentiebat expoſuerunt cum in multos quoque alios ſermones erupiſſent, quibus modò quod vtile erat, in medium adducebant, modo quibus, ne pacis deſiderio teneri viderentur, propterea quod imbecilliores eſſent magnificè de ſe prædicabant. Perſæ autem pacem continuam eſſe & certam auri quantitatem, ne armis vterentur, ſingulis annis accipere volebant. Præterea quadraginta, aut admodum triginta annorum auri præſtationem vno cumulo coaceruatam, vltrà id quod ſingulis annis penderetur, ſibi præſenti die dari, vt ab armis diſcederent poſtulabant. Romani contrà ad breue tempus fœdera fieri æquum cenſebant & quicquam pro pace ſoluere recuſabant. Magno ſuper hoc certamine exorto cum pluribus verbis inter ſe diſſeruiſſent tandem decreto ſancitum eſt vt per quinquaginta annos pax eſſet, Romanis Lazi-

cem Persæ redderent. Valere pacis conditiones, & vtrimque obseruari, hac per Orientem, hac per Armeniam & per ipsam quoq; Lazicem. Triginta aureorum millia, singulis annis, quibus pax erit, Romanos Persis pręstare: Vniuersam decem annorũ, huius annuæ pręstationis quantitatem, ita repręsentari, vt septem annorum summa, præsenti pecunia, trium reliquorum annorum quę restabant ex decem, statim à decurso & peracto septennio persoluerentur. Deinde per reliquos singulos annos ex conuentione solutio fieret. Actum quoq; est de diruenda monastica domo, quę Sebanus vocatur, fundata dudum, & ædificata in cõfinibus, & aream Romani acciperent. Etenim ab initio Romanorum fuerat. Sed eam Persæ cum pacem rupissent, occupauerant, & cum in eius possessione diu fuissent, propitiatorium mœnibus sepserãt. Non tamen alia loca omnino demoliti sunt, neque ea Romanis tradiderunt. Fœdera enim de ea re nihil quicquam continebant. Conuentum etiam fuit, vt litteræ, quas sacras Latina lingua vocãt, ab vtrisque & ab Imperatore & à Rege adferrentur, quibus ratas haberent & confir-

marent, pacis conditiones, in quas Legati consenserant. Et hæ confestim illuc sunt missæ. Conditionibus quoque adscriptum erat, vt separatim sacra sanctio ab Imp. Romano emitteretur, qua pecunias pensionis trium reliquorum annorum, quæ restabant ex decem, se statim exeunte septimo anno Persis numeraturum caueret.

Pactum quoque est, vt Persarum Rex cautionem interponeret, se simul atque aurum, quod stipulatus erat, pro tribus annis, recepisset, securitatis instrumentum Imperatori Romano traditurum. Et Romani Imperatoris pacis ratihabitio solitam præferebat inscriptionem, quę satis nota est. Persarum verò Regis, Persica lingua scriptæ verba Græcè hæc sonant. Diuinus, Bonus, Pacificus, summus Princeps, Cosroës, Rex regum, fœlix, Pius, beneficus, cui Dij magnum Imperium, cum magnis opibus indulserunt, Gigas Gigantum, ad Deorum exemplar compositus Iustiniano Cæsari fratri nostro. Atque inscriptio erat huiusmodi. Vis autem eorum quæ cõprehensa sunt litteris, talis fuit. Referam ego ipsam verborum structuram, & dispositionem. Ne-

ceſſarium enim eſſe duxi, non aliter facere, ne quis ſuſpicaretur, ex his quæ verò ita ſe habent, aliquid à me immutatum. Gratias agimus fraternitati tuæ pro pace, quam nobis interiſta duo regna conſtitutam, vtendam fruendam dediſti. Nos quidem Iedogouſapho diuino cubiculario noſtro, iuſſimus & poteſtatem dedimus, id negotij conficere. Fraternitas autem Cęſaris, eius procurationem Petro Romanorum magiſtro commiſit vt de pace colloquium haberet, & tractaret. Et quidem Zichus, & qui à Romanis Magiſter dicitur, & Euſebius, re inter ſe deliberata & perpenſa, tractauerunt & in ſcriptis redegerunt pacem in quinquaginta annos Perſis & Romanis eſſe, & quæ ſcripta ſunt, ſuis ſigillis impreſſis approbauerunt. Itaque nos omnia, quæ Zichus & Magiſter Romanorũ, & Euſebius, de pace cauerunt, ſanxerunt, & conuenerunt, rata firma valere volumus, & conditionibus dictis ſtamus: Et iſta quidem ita ſcripta ſe habebant. Eodem ſenſu Romanorum Imperatoris ratihabitio ſcripta fuit, ſed ſine vlla inſcriptione & titulis, licet contrarium à Perſarum Rege eſſet vſurpatum.

Super his ſolutum eſt inter legatos colloquium. Cum denuò ad colloquium veniſſent & Zichus magnificis verbis iactaret, & attolleret Coſroëm, & diceret, illum inuictum, & in medium proferret multas eius victorias, vt ab eo tempore, quo Cidari redimitus fuiſſet, decem gentes, cum quibus dimicaſſet, tributum pendere coëgiſſet, & Ephialtarum potentiam euertiſſet, & multos Reges ſubegiſſet, qui ipſum colebant, & venerabantur, vnde iure & merito, Regis Regum appellationem ſibi ſumeret. Cum hæc & huiuſmodi Zichus de Coſroë prædicaret, & magnificè loqueretur, Petrus paulum à propoſito digrediens, hanc hiſtoriam recitauit. Erat inquit olim priſcis temporibus, quidam Ægyptiorum Rex, nomine Seſoſtris. Is, cum illi fortunæ aura aſlaret, magnos ſpiritus ſumpſit, & potentes gentes domuit, & earum Reges captiuos fecit, eóque deuenit arrogantiæ, vt currum deauratum fabricaret, & equorum & aliorum animalium vecturæ aptorum loco, Reges illos iugo aptaret Is vectus per Reges, per vias publicas, ſeſe ſubditis exhibebat. Quæ cum

quibuſdam diebus factitaſſet, accidit vt quodam die vnus ex illis Regibus, qui erat ſummo iugo aptatus, intentè & defixè vultum retorquens, ſpectaret rotam ſe circumvoluentem, & continuatione motus, in ſe ipſam reuertentem. Cum id Seſoſtris, qui vehebatur, animaduertiſſet; Quid rerum agis, inquit, neque quis ſis reſpicis? Contemplor, inquit, domine, hanc rotam quæ ſe alternis, frequenter in orbem circumagit, quæ nunquam eodem loco manet, ſed fertur modò ſuperius, modò inferius, & ita currus agitationem facit, & operatur. Hæc audiens Rex Ægyptius, & apud ſe cogitans quid hæc ſibi vellent, intellexit iſta ante oculos ponere & indicare fortunæ incõſtantiam & volubilitatem, quæ ſemper voluitur, neque eodem loco permanet, & rotæ ſemper voluenti res humanas ſimiles eſſe. Itaque veritus ne ipſe tempore in aliquam calamitatem incideret, abſtinuit deinceps, eo modo quo diximus vehi, & Reges apud ſe ſeruitutem ſeruientes, in ſua regna, vt illic quemadmodum antea regnarent, dimiſit. Hic finem accepit Petri ſermo hiſtoriam recitantis, quo Zichi magnilo-

quentiam repreſſit. Deinde diſſeruerunt de his quæ agenda reſtabant. Cætera enim omnia, quoad eius fieri potuerat, quæ adhuc in controuerſia erant, compoſita trãſactaque fuerant, exceptis quæ ad Suaniam pertinebant, quæ in ſuſpenſo & adhuc indeciſa manebant. Itaque Petrus Zicho dixit: Multis laudibus, vir ille dignus eſt qui perfecte vtilia conſulit, eademque perfecte ad exitum perducit. Etenim ſi quid in his labat & deeſt, imbecillitati opinor iudicij, eius qui negotium ſuſcepit, attribuitur. Non immeritò, neque fruſtrà, hæc à me habetur oratio, quæ ad te directa, ô Ziche, tandem in magnam Romanorum & Perſarum vtilitatem eſt redundatura. Dicam ego paulo apertiùs. Suania ditionis Romanorum fuit, & Suanis Romani imperarunt. Tum Tzatheus eorum Dux erat: quo tempore quoque præerat Romanis militibus qui illic in præſidiis agebant quidam Romanus vir, omnibus grauis & terrori: tum quoque multi Romani inter Suanos domicilium habebant, & cõmorabantur. Orta quadam inter Lazorum Regem & Martinum Romanorum tunc temporis in his partibus Du-

cem, discordia, Colchus mittere Suanis praestari solitum frumentum, recusauit. Mos enim erat mittià Rege Colchorum, frumentum. Suani, grauiter & iniquo animo tulerunt, se priuatos esse his quæ sibi ex conuentione debebantur. Quamobrem significarunt Persis, se si illûc accederent; in eorum manibus Suaniam tradituros. Eodem temporis momento denuntiauerunt reliquis Romanis ordinum ducibus, animum Persis gestire in Suanos impetum facere. Quamobrem cum non idoneas ad resistendum haberemus copias, suadere, quod eius & stipendiariorum militum Romanorum commodo fieret, vt Medis longe fortioribus cederent. Hoc dolo Suani vsi, & donis demeriti legionum nostrarum Duces eiecto Romanorum praesidio, Persis celeriter accedentibus, Suaniam vestræ potestatis fecerunt. Hinc facile est intelligere olim Romanorum iuris fuisse Suaniam, hodiéque iure illis competere. Nam si optimo iure cõstituti sumus domini Lazices, sic enim & vos iampridem æquum censuistis, non absque ratione, Suania, quæ Lazices pars est, in nostrum ius

domi-

dominium que cedere debet. Cui Surenas. Eo iniquiori animo, & grauius ista fertis, ô Romani, quod ea gens sua sponte & vltrò, sese nostræ potestati permisit. Zichus eius verba suscipiens. Suani suis legibus sunt vsi, neque vnquam Colchorum imperio paruerunt. Num tu, ô Ziche, addidit Petrus, verba conuentionum pacis, in hac significatione, accipi æquum censes, te mihi Lazicem reddere, cum gentibus, quæ Suaniæ subsunt. Si hoc facio, inquit Zichus, aditus tibi aperietur, de Iberia quoque controuersiam mouere. Nam in tuo arbitrio est etiam dicere, ipsam quoque subiectam fuisse Lazis. Clarum est igitur, ô Ziche, te nolle nobis, integram Lazicem restituere, sed solam eius partem. Multa etiam alia vltrò citróque Persæ, & Romani, & dixerunt & audierunt de Suania, neque tamen conuenire potuerunt. Sed totam rem ad Regis Persarum arbitrium reiecerunt, apud quem Zichus se Petro qui, vt de Suania, cum Rege ageret, proficiscebatur, neque studio, neque gratia defuturum, iureiurando, quod apud Persas sacrosanctum habetur, fidem suum obstrinxit. Deinde

Zichus ſermonem mouit, de Ambro Alamandaro Saracenorum duce, dixitque illi deberi mille auri libras & æquum eſſe, vt eas acciperet, ſicut & is qui antè Saracenorum Dux fuerat. Contra dixit Petrus, Saracenorum enim Ducem, qui antè Ambrum fuerat, donatum quidem ſine vlla ſcriptura auri quantitate, ad arbitrium Imperatoris, quia noſtras partes fouebat. Mittebatur igitur ad Saracenum nuntius, qui vectus celeritate equorum publicorum, reddebat quod illi Imperator donatum volebat. Sed antè Saracenus per legatum, quem mittebat, Imperatorem noſtrum donis ſibi conciliabat. Tunc iterum Imperator, viciſſim aliqua liberalitate Saracenum ſibi deuincire ſtudebat. Si Ambrus ita fieri poſtulauerit & Imperatori placuerit ita fiet, ſin minus fruſtra contendit, & demens eſt, neque quicquam feret. Hæc & alia multa, cum inter ſe agitaſſent, fœderum in quinquaginta annos conditiones ſunt perſcriptæ, Græcè & Perſicè. Deinde Græca in ſermonem Perſicum, & Perſica in Græcum ſunt tranſlata. Fœderibus autem ſcribendis & faciendis affuerunt, è Romanis Pe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [318] - 290

trus Dux militum qui circa Imperatorem militabant, Eusebius, & alij. Ex Persis Iedegouphiacus, Surenas, & alij. Conuentionum verò, ab vtraque parte approbationes, fuerunt Syllabis comprehensæ. Quas inuicem sibi tradiderunt, æquepollentibus verbis, & eiusdem sensus & tenoris. Quæ autem pacis instrumenta ferebant dicentur. Primum igitur decretum adscriptum fuit. 1. Ne per angustias, introitus, qui Coruthson appellatur, & portas Caspias Persæ aut Hunnos, aut Alanos, aut alios barbaros, in Romanorum ditionis terras transire sinant, neque Romani in ea loca exercitum contra Persas mittant. 2. Vt Saraceni qui apud vtrosque Reges, ex conuentione militant, maneant & pacta seruent, sed neque hi, qui Romanorum partium sunt, contra Persas, neque qui Persarum, contra Romanos arma ferant. 3. Tertio capite cauetur, vt Romani & Persæ, quarumcunque mercium mercatores, & hi qui vectigalia, ex huiusmodi mercibus colligunt, secundum legem ditionis, in qua illis commercium est, neque in aliis locis, quàm in quibus decimarum solutio est

indicta, mercaturas faciant. 4. Vt legati, & reliqui, cum quid nuntij perferunt, equis publicis, modò per Romanorum, modò per Persarum regiones, si iter habeant, pro cuiusque gradu & dignitate honore afficiantur. Et diligentia quidem quanta opus erit iter maturent, neque cunctentur, & merces si quas adferunt, permutent, sine vllo impedimento, aut tributi illatione. 5. Sancitum præterea est ne mercatores Saraceni, aut alij, quicumque barbari in amborum Principum regionibus, per incognitas & minimè tritas vias, incedant, sed ad Nisibim aut Daras appellent, neque sine iussione præsidiali alienam regionem adeant, si quid præter quod statutum est audeant, aut vt dicitur, vectigalia fraudauerint, si deprehendantur ab his, qui limitibus præsunt, præter mercium quas vehunt amissionem, siue sint merces Assiriæ, siue Romanæ, pœnas, & mulctas, à legibus statutas luant. 6. Vt hi qui dum bellum erat, siue à Romanis ad Persas, siue à Persis ad Romanos transierunt, si regredi & ad sua redire voluerint, nullum illis impedimentum, aut molestia fiat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [320] - 292

sed qui per pacem deinceps aufugient & migrabunt ex alterius ditionis terris, in alterius regionem, minimè admittantur, sed omni modo etiam inuiti reddantur, his à quorum dominatu effugerunt. 7. Pars quoque fœderum fuit, vt si qui querentur, sibi quid nocitum esse, à contrariarum in republ. partium sectatoribus, iudicio dirimatur controuersia, siue ipsi siue eorum domestici damnum acceperint, in limitibus à Principibus viris vtriusque reip. qui conuenient, & ita mulctato eo qui iniurius fuerit iuris inæqualitas corrigatur & emendetur. 8. Vt in posterum Persæ Romanis non succenseant, quod Daras muniant, placuit vtramque rempubl. à munimentis extruendis porrò abstinere, neque ad tuitionem loca in limitibus sita, muris & propugnaculis circumdare, ne inde turbarum occasio nascatur, & fœdera pessumeant. 9. Neminem inuadere, aut bello lacessere, gentem, aut regionem, quæ sub alterutrius imperio sit, sed potius cum omnes nulla in re affecti iniuria vitam agant, pacatè & quiete degant, per illos, aliis quoque pace frui liceat. 10. Ne magna militum manus in

Daras, vltrà quàm custodiendo oppido satis sit, conueniat, neque Dux Orientis circà ea loca commoretur, ne fiant excursiones in Persas, & damna illis inferantur. Quod si quid tale contigerit, causa cognita statuatur vt Dux Daras damnum rependat. Alterius post decimum fœderum capitis hæc est constitutio. Si vna ciuitas alteri detrimento fuerit, quia illi plurima incommoda, neque legitimo bello, neque exercitus vi, sed dolo & clandestina inuasione intulerit (sunt enim multi homines ad huiusmodi facinora perpetranda admodum procliues, quo belli inde occasio oriatur) statutum est omni ratione, vt in eos diligenter inquiratur, & iudices, qui ab vtriusque Principibus in confiniis, iuri dicundo sunt præpositi, in eos animaduertant. Quod si coërcendis finitimorum diffidiis minimè sufficiant, sancitur vt disceptatio ad Præfectum Orientis transmittatur, qui si intra sex menses concertationes illas non resecuerit, & damno affectus, non receperit quod sibi deperiit, eum qui iniuriam intulit, obnoxium deinceps fore, læso & iniuria affecto, induplum.

Si ne ſic quidem, res finem acceperit, pars quæ oppreſſa fuerit, legationem mittat, ad Regem eius, qui vim fecerit, à quo Rege damnum ſi non rependatur, duplum inflictum læſus intra præſcriptum anni tempus accipiat in quantum illud fœderis caput violatum erit. In ſecunda poſt decimam fœderum parte videbis ad Deum preces, & execrationes quoque, ſcilicet vt Deus pacem colenti ſit propitius, & in ompnibus adiutor: contrà decipienti & à conditionibus fugienti & aliquid in eis nouare cupienti, hoſtis & inimicus. Tertium à decimo caput addit his quæ conuenta ſunt robur & firmitatem & in quinquaginta annos durare fœderis conuentiones. Annum numerandum eſſe, ſecundum morem antiquum, qui terminatur trecenteſimo ſexageſimo quinto die. Illud quoque obtinere, vt vtrimque ſicuti dictum erat adferrentur Syllabæ, quæ declararent, vtroſque Reges approbare ea quæ à legatis geſta tranſactaque erant. Poſtremò, admiſſis & approbatis conditionibus, mutuò ſunt traditæ quæ vocantur ſacræ.

His ita decretis & corroboratis, ſeparatim pacta ſunt interpoſita de Chriſtianis, vt illis liceret templa conſtruere, & ſine vllo timore ſacra peragere, & gratiarum actiones, per hymnos Deo, ſicut apud nos fieri conſueuit, canere, neque cogi magicis ceremoniis intereſſe, aut inuitos colere & venerari Deos, qui apud Medos Deorum numero habentur. Neque tamen ideo Chriſtiani auderent conari Magica ſectantes in ſuam ſententiam pertrahere. Obtinuit quoque, vt Chriſtianis poteſtas eſſet mortuos ſepulchris condere & illis ad noſtrum morem iuſta perſoluere. Hæc cum ita recte & ordine geſta adminiſtratáque fuiſſent, Syllabas, hi quibus eius rei cura demandata erat duabus tabulis exaratas, ſuſceperunt, & Syllabarum vim & ſenſum æque pollentibus & eadem ſignificantibus verbis, expreſſerunt, quarum ſtatim altera exemplaria confecerunt. Et quidem magis authenticæ tabulæ, quibus plenior fides adhiberetur, & quæ maiores vires haberent, cereis effigiebus fuerunt inuolutæ, & aliis quæ apud Perſas ſunt in vſu: tum etiam legatorum ſigilla anulis impreſſa,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [324] - 296

& duodecim interpretum, ſex Romanorum, neque minori numero Perſarum. Sic mutua traditione, inter ſe ſibi pacis tabulas Zichus Petro Perſarum lingua ſcriptas, & Græca Petrus Zicho tradiderunt. Rurſus cum Zichus accepiſſet à Petro æquè ac authenticum approbatum exemplar, è Græco Perſica lingua expreſſum, ſine vlla ſignorũ impreſſione, quod ad ſolam rei geſtæ memoriam valeret, eadem itidem Petrus à Zicho pariforma accepit. His trãſactis ſeorſim alter ab altero procul à cõfiniis abierunt, & Zichus quidem ad ſedes patrias remeauit: ſed Petrus illic remanſit, vt feſtum Natiuitatis Chriſti Dei (inſtabat enim auguſta, & veneranda dies) ſanctè & religiosè coleret. Nec multo poſt illic adhuc Epiphania quoque ex eccleſiæ conſtitutione ſancta habita celebrauit: deinde ad Perſas profectus eſt. Ante profectionem legatorum, cum ex Perſis, hi quibus id negotij commiſſum fuit, ad Daras acceſſiſſent vnà cum interpretibus & cudendæ monetæ præfectis, repræſentatæ ſunt quæ Zicho, pro ſeptem annorum penſionibus promiſſæ fuerant pecuniæ. Petrus verò ad Regem Perſarum acceſſit, in

loco qui Bitharmasus appellatur, vt de Suania cum illo ageret, & in Regiam introductus sic locutus est. Venimus, ô Rex ad te, qui beati & fœlices, firma iàm & stabili pace fruimur, cum tu licet serò, (quo nomine minime tibi succensemus) ad æquitatem es delapsus. Sed is, qui præsentem rerum statum recte cõposuerit, & vt ita dixerim, quæ ad communem omnium vtilitatem spectant, poliuerit & formarit, quomodo futuris quoque malis lõgè grauioribus quia diuturnioribus, non obuiam it & prouidet? Magni regis est posse quidem plus habere, sed nolle. Quicquid enim potentiæ superat, cohibetur & comprimitur prudenti moderatione. Itaque cum feruens belli inter nos ardor iam deferbuerit & quodammodo respiremus, vna fomes relicta est (fomitem dico malorum) Suania quæ minatur nobis maximum inimicitiarum & hostilitatis incendium. Sis igitur obstaculo & impedimento grauissimis qui impendent casibus, & longè ante cohibe malorum imminentium expectationem. Nos enim dubia & controuersa quæ secare non potuimus ad te reiecimus, vt quæ conuenirent statueres. Vnica enim

& sola perfecta & omnibus numeris absoluta belli finiendi ratio est, si quidem domini Lazices effecti sumus, vt Suaniá quoque nobis restituas. Qui enim dominium assequitur eius quod imperat, quî fieri potest, vt non quoque dominus sit, eius quod subest & paret? Atqui Lazi, sed ne quidem ipsi Suani, minimè in dubium reuocauerint, quantum memoria se in præteritum extendere potest, Suaniam subiectam fuisse Lazices, & Regi Lazorum ius fuisse, suffragio suo, qui Suaniam regeret, constituere. Quæ cum diceret Petrus per instrumenta Cosroëm docuit Lazorum Reges alios aliis per ordinem succedẽtes Suanis Reges dedisse: deinde eius eò vnde profecta erat redijt oratio, & dixit. Si tu igitur nobis, ô Rex! iustum enim est, Suaniam reddideris, neque potiorem lucri quod in ea retinenda facis, rationem duxeris vtrumque assequeris & minimè iniurij & iniusti famam reportabis, & liberalis esse omnibus & munificus quà decet, videberis. Eo fiet vt Rex noster minimè existimabit, se à te iniuria affectum, si quod suum est, tãquam dono acceperit, cum & Lazicem, non alio titulo, suam effectam putauerit. Cum enim as-

ſeueranter tueremur, quod etiam apertè oſtendebamus, Lazicem à longo tempore à Romanis poſſeſſam fuiſſe, tu contrà eam tibi belli iure propriam effectam dixiſti nihilominus illæſam iuſtitiam eſſe voluiſti & temperatam habere cogitationem quàm manum potentem potius duxiſti. Cur enim non neceſſitatem, neceſſitatem efficiã? & ſuffragio meo, quod tuæ generoſitatis & magnanimitatis eſt à te abiudicem? Victoria potitus, victus es ab honeſtate & æquitate, & planè nobis Lazicem reſtituiſti & tanquam noſtrum proprium patrimonium eam tradens eius potiundæ poteſtatem in nos tranſtuliſti, quod & idem de Suania ſupplices petimus, vt gratis quod nobis proprium eſt, recipiamus, & vobis gratias habeamus, quod eo quod noſtrum eſt minimè nos mulctaueritis. Et vos, veſtræ fœlicitati gratulemini, quod tantum poteſtis, vt etiam ea quæ noſtra ſunt, nobis dono dare valeatis, non autem è conuerſo. Rex autem ita reſpondit. Equidem ſapientiæ vis ſi offenderit animum, dicendi & perſuadendi facultate orbatum & deſtitutum, ratiocinando, quod infirmum & imbecillum eſt proſternit & cõ-

terit, quemadmodum medicamentum vlceri adhibitum depascitur, id quod dolorem facit, & sanitatem restituit ægrotanti. Quamuis enim minimè iusta sit, ea quæ apud huiusmodi hominum genus habetur oratio, si tamen aptè & cõcinne quis dicat dicendo euincit. Cum igitur ea de causa sapientia lõge armorum vim superat, quod minimè ita natura comparatum sit, vt bellica virtus possit aliquod egregiũ facinus edere, nisi eius exequendi rationem ab illa mutuetur, summum fortitudini in prudentia præsidium constitutum est, quippe quæ, eum qui hanc possidet, saluum, & incolumen seruet & præstet. Quamobrem licet ipse, ô Romanorum legate, quantum satis est nequaquam philosophicis disciplinis innutritus & imbutus fuerim, túque verborum vbertate & copia superior sis, ab aliquo iure reprehenderer, si edoctus non persuaderer: tamen quamuis eloquentia minimè polleam quãtum in me erit ex animi mei sententia, quod iustum est promam. Demus vt causam meam agam, de Suania ita ferem in veritate habere Lazicem bello subegi, Suanos nũquam bello appetij. Solo auditu à Mermeroe ac-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [329] - 301

cepi, qui significauit regionem non esse dignam nostra cura, neque pro qua certaremus, neque operæpretium nos quicquam facturos si exercitum regium eò mitteremus. Sitam esse inter eas gentes, quæ circa Caucasum habitant, habere regulum, & esse transitum Scytharum. Decessit Mermeroes, administrationem exercitus suscepit Nacherga. Scripsit ille nobis eadem. Suanos, iuga Caucasi habitare, esse latrones, prædarum abactores, & quorumcumque grauium & immanium scelerum patratores. Cõstituimus aduersus illos exercitum mittere, qui in illos impetum faceret. Persæ Suanis timentes, nos adierunt, manifestum esse, regionem se in nostram potestatem tradere, & eam tenere minime inficior. Nec obscurum est, illos nobis lubenti animo parere, & à nostris seruis regi. Postremo Zichus nos per litteras certiores fecit, Romanos repetere Suaniam, in quo tam longè vos, ab eo quod iustum erat, discedere, existimaui, quantum abfui à fide adhibenda his quæ ad me contrà rationem deferebantur. Imò vincerer ab eo quod fieri posset, & huic petitioni obtemperarem, si vnquam in mentem

veſtri regis veniſſe, vt id æquum iudicaret, exiſtimarem.

Has diſceptationes quas multo antè Perſarum Rex mente voluerat, excreuit & effudit & hic finiuit eius breuis de Suania oratio, & cũ paululum à colloquendo ceſſaſſent, rurſus de Ambro Saraceno inter eos exortus eſt ſermo. Rege ſic fari incipiẽte. Qui apud nos eſt Ambrus Alamandarus Saracenus, non parum Zicho ſuccenſet, neque paruam querelam de eo inſtituit, quod illius rationibus cõſulere, cum inter nos pacem fecit prętermiſit. Et Petrus, nullo vnquam tempore, Saraceni qui apud vos ſunt, certam auri quantitatem, à Romanis abſtulerũt. Nec enim id noſtrarũ rerũ neceſſitas vnquam poſtulauit, neque nobis cum his quicquam cõuenerat. Sed pater Ambri, Alamandarus, miſit dona ad Romanorum Imperatorem: Is cum ea accepiſſet, viciſsim eum donis Imperator eſt remuneratus, quod tamen vno quoq; anno nunquam factum eſt, ſed aliquando interpoſitum eſt ſpatium quinquennij. Hoc igitur inter Alamandarum & nos vſurpatum & obſeruatum eſt, non breui tem-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [331] - 303

pore. Deinde innotuit, quod fuerat occultum, Alamandarum hoc feciſſe, cum nõdum res Perſicas ſaluas & incolumes eſſe cuperet. Conuentum deinde fuit, ſi bellum contra nos moueretis, vt Alamandari enſis pro repub. Romana quieſceret & ab omni bellico opere immunis eſſet. Hæc igitur aliquo tempore durarunt. Nunc verò frater tuus, meus dominus, ô Rex, prudenter, opinor, in animum induxit ſuum, & ait, ſi pacem iſta duo regna obſeruent, quid mihi porrò proderit, cum ſubditis & ſeruis Perſarum ſociare conſilia, & quicquam illis largiri, aut ab illis acciperes? cum rerum noſtrarum poſſeſsionem ſicut antea teneamus. Si antè pacem, reſpondit Rex, mutuo miſſæ ſunt legationes, & vos inuicem donis amicè coluiſtis, exiſtimo inuiolata & illæſa permanere debere, quæ inter vos ſunt prius conſtituta. His igitur quò ſuam quiſque aſſertionem tueretur, quantum ad Ambrum attinebat propoſitionibus vſi ſunt. Rurſus inter ſe de Suania contenderunt, & Rex dixit, Cum occupaui. Sendes, Serapa, & Lazicem, nunquam vobis

vobis venit in mentem proponere Suaniam prouinciarum vobis ſubditarum numero à vobis cenſeri. Ex quo apparet, eam nunquam ſubiectam fuiſſe Lazis. Si enim ita ſe res habuiſſet, & vnà cum Lazis quibus potiti ſumus, in noſtram poteſtatem veniſſet. Petrus contrà reſpondit. Res non ita cecidiſſet. Etenim Lazus multò antè vobis ſeruiebat, quã Suania à nobis deficeret. Apud nos autem ſeruus ſerui nunquam dicitur. Dixit Rex, hodie prẹterierũt decem anni, ex quo, Suaniam occupauimus, Legatos ſepius à vobis excepimus, & ad vos miſimus, & nullam vnquam mentionem de Suania feciſtis. Quia, Petrus ait, Lazices dominium eras adeptus. Etenim ſi te interpellaſſem vt mihi Suaniam cederes, cauſam, cur id faceres interrogaſſes quam ſi reddidiſſem quia Lazicis eſt ſubdita, An neſcis me Lazices dominum effectum eſſe? reſpondiſſes, neque nobis quicquam reliqui fuiſſet, quod vltrà eloqui potuiſſemus. Aintu, inquit Rex, Suaniam Lazis fuiſſe ſubiectam? Hoc niſi tu validis inſtrumẽtis probare potis es, quæ tui muneris ſunt non expleueris. Et Petrus, haud cunctabor. Docebo te verum.

Vetus mos ô domine obtinuit apud Lazos, vt Suaniæ Dux ſubeſſet Lazo, non tamen inter hos qui illi tributa pendebant adſcriptus reperitur, nihilominus Lazus accipiebat ab ipſo fructus, mella, pelles, & alia quædam. Quinetiam quando Suaniæ rector vita excedebat, ſuffragio eius qui Lazis præerat, eligebatur, qui in locum defuncti regionis adminiſtrationem ſuſciperet. Tunc Lazorum præfectus litteris Imperatorem certiorẽ faciebat de his quæ euenerant. Et Imperator Lazices præfecto per epiſtolam ſua manu ſcriptam iubebat ipſum mittere diploma Præfecturæ & adminiſtrationis Suaniæ cui voluiſſet, modo Suanus eſſet. Quod iam tum à tempore Theodoſij Imperatoris noſtri, ad Peruſum auum veſtrum vſque, & Leonem, qui apud nos imperauit, inualuit. Deindeè chlamide Petrus, in medium protulit, neſcio quem librum, in quo numerabantur, ordine & diſtinctè Lazorum Reges, qui Suanis duces elegerant. Hæc autem erat inſtrumenti vis: verba enim non id expreſſe continebant.

Hi Lazorum Reges qui Regulos ſuauis conſtituerũt à tempore, quo Theodo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [334] - 306

sius Romanum rexit Imperium,& Ouarenes Persarum, ad Leonem Imperatorem & Perusum vsque, Hinc Petrus in istorum explicationẽ digrediens, dixit; Ad hosvsque habemus in scriptis Lazorum Reges, & omnes qui ab eis Suaniæ præfecti constituti fuerunt. Et Rex; Si cõcesserimus instrumẽtum exhibitum & à vestra rep. depromptũ, fidem facere, nũ & quoque nostris fidem adhiberi æquissimum est? opinor, nisi forte, inquit Rex, quam fidem, dices, habebũt quia horum regum alij ita, alij aliter res administrarunt. Sed quoniam de seruo inter nos contentio est, qui cuius sit, dubium est. Si claris & manifestis probationibus probare potes tuum esse, accipies: sin minus id potes, & Suanus velit Romanorum Imperio subesse, non intercedam. Nec est vltrà id quidquam quod facere possim. Ne rem arbitrij Suani facias, ô domine, cuius velit esse, hac enim conditione delata se in libertatem assereret. Aduerte ô Rex me minime in animo habere, quantum ad regionem Suaniam, quicquam Suanorum voluntati credere. Etenim neque fas, neque iustum est, de cuius patria an seruiat quæstio est, eius

iudicij periculum ſubire. Atque hi inter vtroſque habiti ſunt ſermones. Nihil verò quicquam Petrus de Suania obtinuit, ſed infecto negotio a finibus Medorum receſſit quamuis inſtaret & Perſas vrgeret, ſed vtraque regna bellum depoſuerunt, & Medi quidem à Colchorum finibus domum reuerterunt. Nec multò poſt Petrus cum Byzantium rediiſſet, mortuus eſt.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [336] - 308

LEGATIO IVSTINI AD PERSAS.

IVSTINVS Iuſtiniani nepos quo ferè tempore Imperium ſuſcepit miſit Iohannem Domantioli filium in Perſiam vt legatione fungeretur. Legatio verò hæc erat, ſic enim accepi & vulgo ferebatur, vt pro more inter Romanos & Perſas receptо nuntiaret, Iuſtino Imperium delatum. Deinde, ſi ſe offerret occaſio, in ſermonem de Suania incideret. Nondum enim eam iuri Romanorum Coſroes ceſſerat quamuis Lazicem, cuius dominij Suania pars erat, Romanis reſtituiſſet, ſed ſemper in Perſarum ditione Suania remanſerat. Fœdera quidem, quę in quinquageſimum annum Petrus pepigerat, obſeruabantur, ſed quò ad Suaniam, res adhuc in ſuſpenſo remanſerāt. Iuſtinus verò Imperator, Iohanni in mā-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [337] - 309

datis dederat, Persas monere, si vellent, & illis videretur, vt pecunias pro regione acciperent, si eo descenderent, & venum exponerent paratissimum esse morem gerere, diceret. Erat Suania non illa quidē magni momēti aut pretij, sed situ valde commodo & apto, vt magnum adiumentum adferret ad arcendos Persas ab inuadendis Colchorum finibus. Itaque Iohannes Byzantio profectus, cum vrbium per quas iter illi erat, vt ab Imperatore præscriptum fuerat, multa cura & diligentia rebus subuenisset, ad Daras peruenit. Illic aquæ ductum & meatus quà aqua duceretur & effunderetur instituit, & alia quædam opera necessaria extruxit. Ibi per decem dies est commoratus, tantisper dum in Nisibi festum & conuentus qui ex tota regione fiebat perageretur. Hæc causa erat cur legatio admitti non poterat. Festo peracto, quod apud eos Fourdiga dicitur, mortuaria diceres, Iohannes à primoribus Nisibis exceptus & honore legibus statuto, quà lubuit, affectus, ad exequendam legationem in Regiam Persarum est dimissus. Is eò accessit & omnia quorum causa missus fuit, pro eo ac debuit, ad-

miniſtrauit. Coſroes autem quadam die ſermonem mouit de Saracenis. Gentes enim Saracenicæ, ſicut infinitæ & ipſarum quamplurimæ, per deſerta paſcunt, & earum, ſunt quæ Romanorum, ſunt quæ Perſarum Imperio parent. Ita diuiſæ cum eſſent, Iuſtinianus magni iudicij vir, & qui magnum vſum regiæ adminiſtrationis habebat, Saracenos qui in Medorum partibus erant, per pacem donis proſecutus fuerat, ſed idem Iuſtinianus, vir grauis & conſtans, cum Saracenorũ, qui Medis ſtudebant, animi impotentiam non ferret, eos deinceps contemptui habuerat & nihili fecerat. At illi (eſt enim auidiſſimum habendi hominũ genus) cum tanquam, quod ſuum eſſet, ſibi eripi exiſtimarent, Perſarum Regem, ne ſe ad ſua genua proſtratos, contemneret, ſupplices orarunt. Itaque cum Petrus apud eum legatum ageret, Romanos Saracenis debitum ſoluere, æquum cenſebat. Deinde cum Iohannes ad eum acceſsiſſet, ijſdem verbis eſt vſus. Saraceni enim aſſeuerabant ſe tanquàm, vt quietem agerent, neque Romanorum terris infeſti eſſent, eas pecunias accipere; & ſecus ac ſe res habebat, differebant. Ita-

que Iohannes, vt vidit Saracenos, præterquam quod fas erat, criminari, & accusare Romanos, dixit: Si quis alius, quàm Cosroes, Saracenorum causam, qui Romanos criminantur, tueretur, & susciperet, minus id quidem graue & molestum esset. Persarum verò tantum Regem, qui ab omnibus tanti fit, & res non aliò quàm quo earum natura ducit, trahit, addam etiam & qui benè de Romanis rebus sentit, consentire his, qui volunt iniusta facere, & iniurij esse, simul & admirarer, & quererer, sed æqui bonique consulam, neque animum ad ista aduertam. Romanus enim sum & eum docebo omnia: tametsi eum doceri minimè necesse est, si quidem in his quæ nouit, mea versabitur oratio. Qui enim semel eorum, quæ iustitiæ & æquitati sunt consentanea iam antè cognitionem assecutus fuerit, ea cum iterum suggeruntur apud mentem eius, etiamsi, quod in recessu mentis gerit, perspici non possit, valent, & corroborantur. Petro quidem, qui ante me à nobis legatus fuit, & pacẽ stabiliuit, facile fuit cum eloquentia & persuadendi vi polleret, ea quę

nunc obijciuntur de Saracenis & reliqua quæcumque adhuc controuersa erãt, diluere & refutare. Ego verò qui nũquam eloquentiæ operam dedi, neque, me vt persuaderem dicendo exercui, tamen satis habeo quod apud vos respõdeam Saracenorum criminationi, si nõ plus huic hominum generi quod est reip. nostræ inimicissimum, & rebus nostris maximè aduersum fauetis, quàm nobis. Qui enim apud nos sunt Saraceni (cum Saracenos dico animo perpendite ô Medi gentis perfidiam & inconstantiam) dona quidem ab Imperatore Iustiniano accipere consueuerant. Hæc eo consilio dabat, vt per eos, quos liberalitate sua complectebatur, gentem sibi cõciliaret. Cum enim paci diffideret, se quoque liberalem, ergà eos, quos non oportebat, exhibebat, & magis eo tẽpore, liberalitatis modum sponte sua, cum minimè opus erat, excedebat, quàm cum ad id, etiam nolentem, si dicere fas est, eum bellici apparatus oportunitas impellere videretur. Huius rei manifestissimum est argumentum, & quod pecunias, non ex conuentione, vt dicũt, sed dono acceperunt & quod illi vicissim Imperatorem nostrum muneri-

bus coluerunt. Neque quemquam iſtis contradicturum puto. Quod ſi concederemus Imperatorem Iuſtinianum ex cõuentione illis pecunias largitum, hæc conuentio, ſpatio vitæ dantis eſt terminata & circumſcripta, & morte eius donatio finem accepit. Neque vnius hominis cõſuetudine, aut lege, minimè vtili, (dico autem vt plurimum,) licet eo tẽpore conſuetudo inualuit, aut lex lata eſt, quo Imperator fuit, tota gens, aut reſp. iudicari debet. Nos vero tantum abeſt vt quicquam dono dare Saracenis velimus, vt quantum Imperator Iuſtinianus ergà barbaros benignus & beneficus fuit, is qui nunc Romanis imperat, tantò magis conſtituit ſe cunctis præbere formidandum. Itaque non oportet Saracenos, hæc ſibi ſomnia fingere. Nec enim Imperator hæc facere ſuſtineret. Solum optandum eſt, vt pacem ſeruare, in animum ſuum inducat, neque exiſtimet fœderum conuentiones in aliquo Romanorum maieſtatem lædere & minuere. Si enim id exiſtimaret, ab armis inferendis non abſtineret. Atque hic ad hunc modũ eſt locutus, neque deinceps vlla mentio de Saracenis eſt facta: ſed

deuenit in sermonẽ de Suania: (cum magnopere cauisset, videri id de industria & cogitatò facere) quando quidem Lazice, & iure, illis restituta esset, oportere quoque ipsam Suaniam, Romanorum potestati permittere. Visus est autem Persarum Rex, sermones de Suania excipere, & sibi amplius de ea re, cum Principibus Medorum deliberandum dixit. Nec multo post, Iohannes colloquium habuit cum Zicho & Iedousacho & reliquis Persarum primoribus. illi quidem dixerunt, paratos se esse Romanis cedere Suania, hac cõditione, vt pretium eius acciperent & eius restitutionem venum exponebãt, multásque alias conuentiones in medium proponebant, turpes & indignas Romani Imperij maiestate, & quæ minime existimationi quam Iustinus adeptus erat, consentiebant. Grauis enim & elati animi vir, & qui omnia exquisitè perpenderet, habebatur. Quæ cum Iohannes audisset, neque satis ad ea, quæ Imperator illi præceperat, aduertisset, imprudenter fecit, qui ad Suanos vt cum eorum Rege dextram iungeret, misit. Eò absurditatis eum pellexerat Cosroes, qui id animo voluebat,

& machinabatur, vt quicumque ex Suanis, ei tanquam aliquid iustum petenti, fauissent, non impunè ferrent, si Romanis parere vellent. Ad eum enim, si quid profeciſſent, qui à Iohanne miſſi fuerant, cognitio erat peruentura. Nec multo poſt rumor fuit, Coſroem mittere legatum ad Romanorum Imperatorem, qui hæc omnia componeret & in ſtatum cõmodiorem reſtitueret, & reuerſus eſt Iohannes Byzantium.

Iuſtinus Imperator vbi accepit Suanos his qui in Suaniam miſſi erant minimè aures prębuiſſe, grauiter moleſtéque tulit & Ioannem legationis, non ex vtilitate reip. geſtæ condemnauit. Nec enim ſe inſcio, aut non iubente, debuiſſe mittere, & ex hoc occaſionem Perſis præbere, quà ſuam iniuſtitiam tegerent & palam prædicarent, Suanos Romanorum Imperio nuntium remiſiſſe. Nec enim hanc ab Imperio ſuſcepiſſe prouinciam, vt aut Suanis ſuaderet, vt ſe Romanis ſubderent, aut huius rei gratia Byzãtium legatus veniret. Neutrum enim è re vtriuſque populi eſſe exiſtimabat. Itaque Iohannem Imperator à ſe abalienatum dimiſit & eorum numero habuit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [344] - 316

qui minimè commodi ſuis rebus eſſent tum excogitauit, qua ratione inconſultè facta, in melius corrigeret.

Iuſtinus, cum Turci, qui Sacæ antiquitus vocabantur, legatos ad eum de pace miſiſſent, conſilium cœpit legationem quoque ad eos mittere. Itaque Zemarcho Cilici, qui tunc temporis erat Dux vrbium Orientis, iuſſit vt ad eam ſe præpararet. Is cum neceſſaria ad tam lõgum iter comparaſſet circà finem quarti anni Imperij Iuſtini, exacto ſecundo quinquagenariarum inducarum anno, initio menſis, qui Latinis vocatur Auguſtus, profectus Byzantio, viam carpſit vnà cum Maniacho & ſuis comitibus.

Multorum dierum itinere peragrato, Zemarchus & qui cum eo erant, cum in regionem Sogdaitarum peruenissent, vt ex equis deſcenderunt obuios habuerunt ex Turcis, qui ferrum venũ exponebant: opinor vt indicarent, apud eos reperiri ferri metalla. Ferebatur enim ferrum apud eos eſſe rem minimè paratu facilem. Ea de cauſa, hoc commento vſi ſunt, vt oſtenderent in ſua regione ferri fodinas eſſe. Alij quidam quoque ex eadem gente, ſeipſos ſponte exhibuerunt,

quos dicebant esse malorum & infortuniorum depulsores. Hi cum ad Zemarchum & eius comites accessissent, nescio quæ verba insusurrarunt, & tintinabula, & timpana resonantes, super mole quadam, folium thuris, igne cum strepitu laceratum & comminutum circumferebant, & œstro & furore quodam perciti, fremitum edentes, infortunia depellere videri volebant. Itaque Auerruncatores & malorum propulsores censebantur, & aduersa quæ accidere possunt, vt existimabant, aliò auertebant. Zemarchum etiam ipsum, circà flammam circumduxerunt, & eo ritu, quo illis mos erat, lustrarunt. His ita confectis, viam perrexerunt & his comitati, quibus eos deducendi munus incumbebat ad eum locum, vbi erat Caganus venerunt, in monte, qui vocatur apud ipsos Ecthal, montem aureum diceres. In valle huius montis, qui aureus dicitur, erat Disabuli domicilium. Illuc cum Zemarchus, & qui eum comitabantur venissent, accersiti, se Disabuli conspectui obtulerunt. Is vero erat intra tentorium suum, & sedebat in cathedra, duabus rotis innixa, vt quo opus esset,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [346] - 318

equo traheretur. Cum eum ſalutaſſent, munera, vt mos eſt, protulerunt, quæ hi, quibus hoc mãdatum erat ſuſceperunt. Cæterum Zemarchus, Tibi inquit ô tot tantarumque gentium Dux, noſter magnus Imperator, per me ſuum nuntium precatur, quia Romanos diligis, & eorum te ſecundæ res delectant, vt in perpetuum fœlix fauſtáque fortuna ſit. Detur inimicos ſuperare & prędas agere ex hoſtibus. Fraus & inuidia, quam longiſſime à nobis abſit. Amicitias enim quantũuis firmas & ſancte initas, poſſunt diſſoluere. Turcos & gentes illis ſubditas neceſſariorum loco habeo. Ergà nos igitur vos gerite, quemadmodum & nos erga vos, neque aliter. Hæc & alia quædam dixit Zemarchus. Et ipſe quoque Diſabulus, ſimilibus fauſtis ominibus Romanos eſt proſecutus. Inde ſe ad cõuiuium cõuerterunt & quod reliquum fuit diei, in eodem tentorio genio indulgentes tranſegerunt. Erat autem illud tentorium inſtructum ſericis tapetibus, qui erant variegati coloribus ſine vllo artificio. Vino vero vſus eſt, non eo quidem, quod apud nos exprimitur è vinea, nec enim eorum regio vinearum ferax eſt,

nec huiuſmodi potionis genus, apud eos eſt in vſu, ſed alio barbaricæ potionis genere ſuauis & dulcis ſatiati ad hoſpitium vbi appulerant, diuerterunt. Poſtridie etiam in alio tugurio conuenerunt, quod erat quoque vario tapetum ſericorum genere adornatum in quibus inerant effigies excellenti forma. Sedebat autem ipſe Diſabulus in lecto, qui totus erat ex auro confectus, & in medio conclauis erant vrnæ, aquiminaria, vaſa pura & dolia aurea. Sic iterum conuiuati ſunt & inter potandum, quæ conuiuio conueniebant dixerunt, & audierunt. Deinde in quoddam aliud cænaculum ſeceſſerunt, in quo erant columnæ ligneæ, auro inuolutæ: aureum etiam cubile, ſuſpenſum quatuor pauonibus aureis. Ad veſtibulum eius loci vbi commorabatur, diſpoſita erant plauſtra frequentia, quibus inerat multa argentea ſupellex, diſci & lances, & plurimæ ſtatuæ animalium argento elaboratæ, quæ venuſtate & elegantia non concedebant noſtris, & eas Turcorum dux habebat in delitiis. Dum Zemarchus, & qui cum eo erant illic moram traherent, placuit Diſabulo, vt ſe proficiſcen-

ciſcentem contrà Perſas, Zemarchus ſequeretur cũ viginti ex ſuis, qui illi miniſtrarent: interea reliqui Romanorũ eius reditum in Chliatorum regione opperirentur. Atq; is eos in diſceſſu muneribus donatos à ſe dimiſit. Zemarchum quoq; honorauit captiua concubina ex his quæ Cerchis dicuntur. Ita Zemarchus, cum Diſabulo bellũ Perſis geſturo profectus eſt. Iter emenſi in loco qui dicitur Talas conſederunt. Hic obuiam venit Diſabulo Perſarum legatus, quem vnà cum Romanorum legato ad cœnam inuitauit. Ad eam cum acceſſiſſent, multo plus honoris detulit Diſabulus Romanis, quàm Perſicis legatis, & Romanum legatum honoratiore loco accumbere iuſſit. Quin etiam multum de Perſis eſt queſtus, tanquàm ab his multa iniuſta paſſus eſſet, quæ vt bello & armis vindicaret venerat. Cum Diſabulus vocem atolleret & acerbius, quærelam interponeret, Perſarum legatus legem ſilentij apud ipſos in conuiuiis obſeruari ſoliam tranſgreſſus, ſummatim cœpit diſſetam rere. At Diſabulus generoſiter obiecta depellere & refutare. Qui aderant ad-

mirabantur eum in tam violentam iram exardeſcere, vt nulla habita legis ratione multis hisque intemperantibus verbis vteretur. Poſt hæc cùm ab inuicẽ diſſeſſiſſent, Diſabulus quidem in Perſas cõtẽdit. Et Zemarcho & eius comitibus ad ſe vocatis vbi amicitiam cum Romanis confirmaſſet eos vt ad ſua redirent miſſos fecit. Cum his quoque alium à ſe ad Romanos legatum miſit in locum Maniach qui vita exceſſerat. Huic legato nomen erat Tagma dignitas vero Tarchon. Hic igitur vt legationẽ apud Romanos obiret à Diſabulo miſſus eſt. Vnà cũ eo Maniach eius qui nuper mortuus erat filius admodum adoleſcens. Is patri in magiſtratu ſucceſſerat, & vnà cum Tagma, dignitatem Tarchon gerebat, quam tanquam paternam creuerat hæreditatem. Eam autem, meo quidem iudicio, à Diſabulo obtinuerat, quo illi foret obſequentior & beneuolentior. Dimiſſus à Diſabulo Zemarchus, aſſumptis his ex Romanis quos certo loco cõſiſtere & ſe opperiri iuſſerat, cũ primum ſimul fuerunt vię ſe cõmiſerunt & Choalitarum vrbe quam priorem offenderãt, relicta, per caſtella iter direxerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [350] - 322

Baianum Abarorum Ducé voluntas cœpit legatos ad Romanos mittere qui de fœderib. verba facerent. A Vitalliano etiam ſibi aurum dari petiit, vtà prædis agendis per inducias abſtineret. At Iebudas acceptis à Præfecto Illyrici nummis nõ minus octingentis ea Baiano tradidit. Præterea Abarorum Dux, miſit Targitem, qui vnà cum Vitalliano interprete, Imperatori denuntiarent, vt Sirmium & pecunias, quas Controgori, & Ottrogori à Iuſtiniano accipere ſoliti erant, quia vtramque gentem ſubegerat, illi traderet, Ouſdibadon quoque Gepidam. Dicebat enim & omnes Gepidas in ſuum ius dominiumque veniſſe quia eos deuicerat. Itaque legati vbi in Regiam vrbem ad Imperatorem venerunt, Targites ſic eum eſt affatus. O Imperator adſum à tuo filio miſſus. Tu enim verè pater es Baiani, eius qui apud nos dominatur Ea res fecit, vt crederem te affectum paternum exhibiturum eſſe filio, in eo quod reddes ea quæ filij ſunt. Cum enim noſtra tenuerimus, mox noſtra quoque quæ tua ſunt, tenebis. Nũ igitur illi ſua præmia præbueris? Quod ſi feceris, ea non in extraneum, neque in

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [351] - 323

hoſtem contuleris, neque earum rerum mutabitur dominium. Etenim rurſus ad te redibit per filium ſi ea indulſeris quæ à te petitum venio. Scilicet Sirmium, & pecunias quotannis quas dabat Imperator Iuſtinianus Ouittigoris & Contigoris. Nam cum Baianus hodiè dominium ſit adeptus harum omnium gentium, eorum bona & Ouſdibadi quoque eius ſunt. Nec enim Ouſdibadem quiſquam negarit effectum eſſe Baiani mancipium. Hæc Targites; cui Imperator. Tu quidem, vt videtur, minimè vt legationem faceres veniſti, ſed magis, vt mores Abarorum, anteà nobis penitus ignotos, indicares, & cognitos perſpectoſque efficeres. Si enim, vt dicitis, conceſſerimus vobis, ea quæ nuper Iuſtinianus, commiſeratione potius quàm terrore adductus, quia ab effundendo ſanguine abſtinere volebat, Hunnis largitus eſt, ridicula res ſanè erit, ſi etiam liberalitatem & humanitatem in eos exercere oporteat, contrà quos in acie ſtare, nemo eſt qui nos non viderit, quando miſeri Cotrogonri & Ottegouri, quos affirmatis à nobis accepiſſe pecunias, modò fugientes, mo-

dò cæsi, à noſtro exercitu ſunt ad internecionem vſque deleti. Cur igitur vobis largiemur bona eorum quos vicimus? Hoc enim abhorret à communi ſenſu, ſimul & vincere, & eorum quos viceris, bona aliis tribuere. Neque enim, ſi ſemel viſi ſumus prudentia deſtituti, eſt abutendum, aut ad conſuetudinem trahere oportet, & ex eo præſumendum nos ſemper futuros imprudentes. Quid igitur de Ouſdibado faciemus? vobis ne eum reddemus? non ſumus adeo dementes & ſtolidi, vt noſtra profundamus, maximè in barbaros, & eos qui noſtræ reipub grauia damna intulerunt. Qui enim Imperatoriam maieſtatem, antè nos adminiſtrauit, Gepidas huc illuc diſperſos, in vnum cõgregauit, & illis regionem circà Sirmium quam incolerẽt, diſtribuit. Deinde exorto inter ipſos & Lõgobardos bello, periculo ſuorũ, vt par erat, participauit & Romanorũ manu & auxilio Gepidę qui ſine ope noſtra ſeruiſſent effecti victoriam reportarunt. Deinde mala mente, & malo animo, benefactoribus ſuis, graues & moleſti fuerunt, & pro beneficiis in eos collatis, inſidias, in quo nulla venia digni ſunt,

nobis ſtruxerunt, Romanis tamen minime viſum eſt afflictis eorum rebus inſultare. Nec enim illis moris eſt, dignas pœnas peccatis expoſcere, ſed magis contempnere. Poſtea accidit, vt ab aliis funditus euerterentur. Cum igitur non aliter ſe res habeant, ſi nos iſto nomine dignos reprehẽſione cenſetis, cum eos qui noſtri optimo iure fuerunt, poſſideatis, à nobis eadẽ in vos retorquẽtur. Vos enim Oudiſbadom, nos Gepidas, & eos qui ex his reliqui ſunt, à vobis repetimus. Etenim cum Romani ſimus, ita natura ab omni hominum memoria & ab ipſa noſtri Imperij conſtitutione comparati ſumus, vt inconſultè & imprudenter geſta prudenti moderatione temperemus & corrigamus, & in priſtinum locum reſtituamus. Et nos in barbarorum manum Sirmium trademus. Num vobis ſatis eſt quod perſtatis, quia Romani nolunt arma mouere. Sed ais ô Targita Chaganum Iſtrum traiecturum, & Hebrum quoque, & Thraciæ vrbes, primo impetu occupaturum. At præuenient & occurrent Romanorum copiæ, & cum ſpe depellent ſua, imò agent & rapient quæ Abarorum erunt. Neque graſſari

& prædas agere ceſſabimus priuſquam barbarum ſimus vlti & certè longè Romanis vtilius bellum quàm pax. Etenim cum Abaris & Nomadibus & aduenis amicitiã tenere grauius & acerbius eſt, quàm eos hoſtium numero habere. Namſubdola eſt eorum amicitia, & præſtat vulnera, corpore quàm animo gerere. Poſtremò ô Targeta & arcus & equi, & infinitæ copiæ armatorum ſunt in apparatu. Nec enim quies, vtilitate potior. Hæc cum Imperator magna animi magnitudine præditus dixiſſet, Abarorum legatos dimiſit. Prius tamen Bonum Ducem per litteras magnopere increpauit, quod ad ſe illos legatos, qui talia proponerent Byzantium miſiſſet. Ad hæc illum monuit, quia certus erat, quàm primum, bellum contra Abaros decretum iri, vt omni opera & ſtudio, bellicas machinas præpararet. Et Bonus lectis Imperatoris litteris omnia quæ ad bellum pertinebant, diligenter curauit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [355] - 327

LIBER SEXTVS.

IMPERATRIX Sophia Iustini, legatum misit, ad Cosroem Persarum Regem ex medicis Imperatoris. Is vbi ad Persas accessit, quadraginta quinque millia aureorum dedit & inducias annuas per orientem fecit tantisper, vt dicebat, dum ab Imperatrice maximus legatus mitteretur, qui de omnibus rebus accuratius ageret & bello finem imponeret. Forte etiam interea accideret, vt Iustinus conualesceret. Itaque in Oriente, qua Romanis parebat, per annum, vt ab armis cessaretur, est statutum, quod in Armenia quoque locum habuit. Cum igitur huius rei tantummodo consequendæ gratia quadraginta quinque aureorum millia numerasset rediit. Et his transactis Eusebius Dux Byzantium accersitur.

Mittitur deinde in Persarum regionem legatus Traianus inter Imperatoris patricios ascriptus qui magistratu qui Quæstor dicitur, fungebatur & (ab inquirendo vt opinor à Romanis sic di-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [356] - 328

ctus) Missus est vna quoque Zacharias, cuius antea meminimus vt si possent, trium annorum inducias, per Orientem & Armeniam facerent, tantisper dum Principes viri vtriusque regni, in finibus conuenirent, qui controuersias dirimerent & consilium haberent, qua ratione in perpetuum arma deponerent. Si hoc minimè succederet inducia saltem tanti temporis pro his, qui ad Solem Orientem incolunt, omni ratione obtinerent.

Legati vbi ad Regem Persarum accesserunt cõcioni adstantes hæc dixerunt, & multis vltrò citroque motis sermonibus Persæ in quinquennium inducias Romani per triennium tantum valere, volebant. Postremo Legati Romanorum, quæ sibi mandata erant, obtinere non potuerunt. Sed in quinquennium inducias esse placuit, tantummodo per Orientem, qua quisque Principum dominaretur, ob quas vno quoque induciarũ anno Romani triginta millia aureorũ penderent, quæ conuenta non alia conditione, nisi ea Imperator suffragio suo comprobasset, robur obtinerẽt. Vt Tyberius negotiorum adminis tra-

tionem ſuſcepit, Traianus & Zacharius legati, ad eum reſcripſerunt Perſas nolle ad tres annos, ſed ad quinque inducias paciſci. Quæ cum non approbaſſet. (Nec enim ei in tam longum tempus, inducias facere placebat) mandauit vt in duos annos paciſcerentur, ſinon obtinere poſſent, nihil ad tres annos adijcerent. Miſſa eſt igitur hæc ad legatos Epiſtola & cum ea quæ continebat, coràm Mebode, qui ad reſponſum accipiẽdum ad fines Daras venerat, lecta eſſent, Perſæ ſatis intellexerunt Romanos inducias quas Traianus & Zacharias fecerant non approbare. Itaque Tachodron immiſerũt, qui terras ditionis Romanorum inuaderet, tum etiam crebras incurſiones fecerunt, & incenderunt propinqua loca Daras. Sed fide Mebodi data illi numeratum iri quotannis per tres annos triginta millia aureorum, pro induciis, ſtatutum eſt vt interea Principes viri vtrique Regno ſubditi, in vnum conuenirent, & conſilium haberet, qua ratione, ab armis omninò perfecta quies eſſet. Id vtile ſuis rationibus fore Cæſar exiſtimabat, & prouidentia quadam faciebat: confidebat enim ſe intra tres

annos idoneas copias coacturũ, quibus ſe ſatis munitum, & inſtructum ad Perſis reſiſtendum exhiberet, vt etiam ex æquo cum eis pugnare poſſet. Præſenſerant & Perſæ hanc Imperatoris prouidentiam, quod nulla alia ratione tantopere de hac dilatione impetranda laboraret, quam vt per id temporis ſpatium proſpiceret quo modo copias quoad ſatis eſſet firmas quibus reſiſteret præpararet. Contemnebant tamen Perſæ Romanos, tanquam qui aduerſum ſe in acie ſtare, & pugnando pares eſſe non poſſent, etiam ſi longius tempus ad apparatum faciendum indulſiſſent. Quamobrem poſtquã belli ceſſatio ad tempus rata per Orientem fuit, omnis motus in Armeniam eſt tranſlatus, & cum alius aliud munus in illa regione obiret, ineunte verè bellum eſt geſtum.

Tyberius Theodorum filium legatum ad Regem Perſarum mittit, ſpecie quidem gratias agendi quod Traianum, in maximũ Romanorum legatum, ſummo honore affeciſſet, cum paulò antè legationem ab eo, ad ſe miſsam ſuſciperet. Ab antiquo enim in more apud vtroſque Principes poſitum eſt, poſt magnos

Legatos, mittere alios minores, quibus non is cultus & honos, qui magnis legatis exhibetur, præstatur. Huic præceperat, vt Regi exponeret se esse paratum (iam enim id conuenerat) mittere in fines vtriusque ditionis, Principes viros, qui de pace cum his, quos ipse eò ad id mitteret, agerẽt & cõtrouersias dirimerent. Theodorum apud Daras Persarum Rex reliquit, & cum hos qui hominem deducturi erant, obiurgasset, quo discerent ad Regis curam pertinere ante prę scribere quemadmodum solita officia legatis prestarentur, rem duxit & dilatione vsus est. Volebat enim simul bellum gerere & legationem excipere atque adeo Romanis sui terrorem inijcere. Qua de causa cum iter per oramq uæ Arestorum & Marepticorum dicitur, feciſſet Persarmeniæ substitit, inopinantibus Romanis, qui tàm citò eò illum peruenturum, nunquam credidissent. Solebant enim Persæ priscis antè temporibus, circà finem mensis qui Latinis vocatur Augustus in Persarmenia apparere & inde ad bellum accingi. Hoc tempus præueniens Cosroes illuc accessit. Accidit autem Romanos semel præ-

uentos, cum tardius rebus ſuis proſpexiſ-
ſẽt nihil toto illius anni ſpatio, fœliciter,
& opportune gerere. Nec enim vllũ exer-
citum conſcripſerant, ſed milites qui ſub
Courſo & Theodoro merebant à caſtris
diſceſſerunt poſt quam illis nuntiatum
erat Imperatorem ira inflammatum de
illis pœnas ſumere cogitare, propterea-
quod in Albaniam irruentes, Sabiros
non penitus ſuſtulerant & exterminarãt.
Sed obſidibus confiſi parum cautè
res adminiſtrarent: idque experientia
ipſa compererant. Etenim confeſtim Sa-
bir à Romanis defecerat. Cùm minimè
ſatis vtilitati reip. conſuluiſſent pœni-
tentia ducti, rurſus in Albaniam impe-
tum fecerant. Et legationibus Sabiros
& Albanos ſuis ſedibus excitos ad ri-
pas Cyri amnis collocarant, vt deinceps
in Romanorum ditionis regionibus ha-
bitarent, quibus rebus peragẽdis Cour-
ſus & Theodorus adhuc occupati erant.
Itaque Cæſar Iuſtinianum Ducem per
Orientem ad ſe accerſitum proficiſci, &
in Armenia bello gerendo præeſſe, vo-
luit. Nihilominus neque Iuſtinianus ve-
nit, quia hoc illi ſerius Cæſar ſignifica-
rat, neque rei in tempore gerendæ

oportunitate vſus fuerat. Adhæc auri diſtributio quod Eois exercitibus debebatur, non ſuo tempore, ſed ſero, & tardiuſcule facta fuerat, itaque Coſroes Armeniam liber ab omni metu, ſine puluere occupauit, cum nemo inuentus eſſet qui illi reſiſteret. Neque vero etiam tributorum collectores minoris Armeniæ fugam cœperunt, neque agros dereliquerunt, ſed commeatus exercitui ſubminiſtrarunt & vtilitatibus Perſarum paruerunt. Sed cum Coſroes, vlterius progrederetur, qui in regione Marabandorum & Tarannorum habitabant, minimè expectarunt, vt nemo mortalium, neque verò etiam vllum animal vecturæ aptum in his locis conſpiceretur. Cum enim Rex hoſtiliter irrumperet, omne quod terræ culturæ inſeruiebat, profligabat, & omnia late hominibus vacua efficiebat, ſed ne quidem, ſi quis venari vellet, vllum omnium animal viuum offenderet. Interea Theodorus Bacchi filius venit ad eum, is hominem benignè excepit, & cum eo familiariter conuerſatus Cæſari fauſta fœliciáque precatus eſt, ſéque cum illo, & pacem & amicitiã inſtituere cupere dixit. Nec enim ſe ini-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [362] - 334

micitiarum, quæ ex violato fœdere ortæ erant, sed Iustinum authorem esse, quod tamen contrà quàm res se habebat dicebat. Deinde in vlteriora per Vadianam, progressus est, & eum sequebatur Theodorus. Vere iam exacto, Armeniam quà Romanis parebat, & Theodosiopoli proxima erat inuasit. Hæc vbi acciderunt, nuntij Byzantium profecti sunt, qui nuntiarunt Persarum Regem Armeniam, quà Romani dominabantur, eximprouiso adortum, Theodosiopolim vsque penetrasse, eumque in his locis esse. Eò cum aduenisset, è regione oppidi, ad meridiem sita, quæ Abarisson vocatur castra posuit: Romanorum verò exercitus, quantum militum cogi potuit, ad Aretum, in loco qui Sinagomenus dicitur in radice cuiusdam montis erat. Cæterum Cosroes, in conspectu Theodori, equitatum in aciem eduxit, quem equo ascenso, in turmas & phalangas partiebatur, & quasi id inopinato & casu, non de industria faceret, se corpore quamuis exili, valido tamẽ esse ostentabat. Hæc enim cogitatio illius animo occurrebat, se nõ alia ratione Armeniam & Iberiam posse sibi subijcere,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [363] - 335

quàm si vnam ex Romanis vrbibus eamque munitissimam caperet, in qua belli sedem constituens, quod Persarmeniæ & Iberiæ reliquum esset vastaret, & desertum redderet. Nec enim illi dubium erat, se Theodosiopolim expugnaturũ. Idque indicans & iactans, Theodorum interrogauit, quæ illi vrbs expugnatu difficilior videretur? Daras aut Theodosiopolis, an hæc an illa munitior? Quibus verbis significare volebat se Daras cepisse, quantò magis Theodosiopolim quæ non æque munita erat, caperet. Theodorus autem valdè prudenter respondit, Eam demum vrbem esse inexpugnabilem, quam Deus in suam custodiam tutellámque in perpetuum recepisset. At Persarum Rex, priusquã Theodorum à se dimitteret, satis perspexit, vrbem à rebus omnibus, quæ ad resistendum hostibus necessariæ erant paratam esse. Cum autẽ multa interea cõtigissent Theodorum Persarum Rex Byzantium rediturum dimisit. Litteris Cæsari significauit, se quoque pace delectari, & si antequam exercitum comparasset, Theodorus adueniisset, neque ipse in aciem descendisset, neque copias eduxisset.

Nunc

Nunc quoniam cum exercitu mouerit, ſibi decori fore, ſi exercitum quem iam dudum inſtruxit, ſoluat & miſſum faciat. Omnia enim mortales faciunt, aut quæſtus gratia, aut quo ſibi gloriam quærant. Nuntiaret autem, ſimulatque domum reuertiſſet, ſe miſſurum in fines Orientis ex Principibus ſibi neceſſitudine coniunctis, qui cum Primariis viris ex Romanis, quos ipſe eius rei gratia delegaret, de his quæ ad pacem facerent, inter ſe diſceptarent & ſtatuerent. Cum verò Theodorus, eum ſuppliciter oraret, vt ab incurſionibus abſtineret, id quidem concedendum cenſuit, ad quadraginta dies vſque, dum nuntius ad ſe à Cæſare veniret, qui illum, quid ſuæ voluntatis eſſet, certiorem faceret. Dimiſſo Theodoro, vt cognouit in ſua poteſtate minimè ſitum eſſe, improuiſa inuaſione Theodoſiopolim capere, neque ſi obſidione aut machinis muros tentaret, quicquam proficeret, Romanorum enim copiæ inter id temporis ſpatium aduenerant, ab obſidione Theodoſiopoleos diſceſſit.

Ex Libro octauo.

SEcundo Tyberij Cæsaris Imperij anno, paulò antè quàm, ea quæ de Cosroe narrauimus gererentur, legatio denuo missa est à Romanis ad Turcos. Valentinus (is erat vnus ex Imperatoris satellitibus) ad id muneris est delectus, quod vbi illi demandatum fuit, vt illud obiret, cum his qui eum comitabantur perrexit. Vna quoque centum sex Turcos assumpsit. Hi Byzantij iamdudum confederant, à sua gente, alij alia de causa missi. Nonnullos Anancastes, cũ illuc ad legationẽ profectus esset, secum adduxerat. Alij cum Euthychio, ad Imperatoriam vrbem accesserant. Alij circà Byzantium commorabantur, qui quoque cum ipso Valentino venerant. Bis enim Valentinus legatus ad Turcos est profectus. Erant & alij qui cum Herodiano, & cũ Paulo Cilice. Ex his omnibus igitur collegit, cẽtum sex Turcos & à Regià vrbe, Olcadibus quæ celeriores erant, soluit ad Synopem & Chersona. (Hæc in aduerso littore ad solis ortum est ædificata) & per Apaturos & gentes

ad arenosa loca sitas, fines Tauricæ percurrit, quà ad meridiem vergit. Inde Valentinus campos, circa quos stagnantes aquæ decurrebant, equis perequitauit & alios plures arundinosos, & arboribus consitos, & paluſtres locos pertransiuit. Regionem quoque quæ dicitur Accagas (est autem nomen mulieris quæ in illa Scythis imperabat suffragio Anācaij, qui tribui Outrogorum præerat regnum adepta) & vt breuiter dicam, multis & difficilibus itineribus peragratis, ad ea loca peruenerunt, vbi Toxandri bellica spolia, & insignia erant constituta. Erat hic vnus, ex Turcorum Ducibus & enim omnis Turcorum dominatus erat in octo tribus diuisus & vnicuique tribui, vnus erat sortito præpositus: vetustiori autem Turcorum monarchæ nomen erat Arcesilas. Itaque Valentinus, ad Toxandrum accedens (Is enim primus Turcorum Ducum obuius erat illuc venientibus) se vnà cum illis Romanorum Cæsari gratulari dixit: eò enim eius rei gratia veniisse, vt Turcorum tribubus nuntiaret iàm Tyberium, ad Cæsarum potentiam euectum esse. Adhęc, vt non minor inter eos beneuolentia esset & fœdera eadem

constarent & valerent, quæ inter Disabulum & Iustinum per Zachariam, qui primus ad eos venerat, pacta conuentaq; fuerant. Disabulus enim se Romanorum amicum professus erat & tam arcta cum Iustino necessitudine coniunctũ, vt eosdem haberet hostes hæc vt salua & illæsa manerent vt erãt cum Romani, illic bellum cum Persis gesserũt, postulabat. Post congratulationes Valentinus addidit: Oportere Turxanthum, cum tempus oportunum venerit Persas bello agredi. Hæc legato dicente confestim Turxanthus, num inquit, vos estis illi Romani, qui decem quidem linguis, sed vna fraude vtimini? hæcsimul vt dixit, decem digitos, in os suum coniecit, deinde rursus sic est locutus: Vt meo ori decẽ meos digitos nunc admoueo, & iectos habeo, ita & vos Romani pluribus, & variis vtimini linguis, quibus modò me, modo eos qui mea mancipia sunt, decipitis. Et sanè omninò omnes gentes verborum illecebris, & ingenij versutia, quod in omnes partes versatis, demulcetis & deluditis, deinde eas, vbi capite demisso se precipites periculis obiecerũt, negligitis; & partis eorum labore cõmodis fruimini, neq;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [368] - 340

verò non vos legati, vndiq; fraude & dolo ſuccincti ad me venitis, & nihilo ſecius is qui vos ad me mittit, fraudulenter, & inſidioſè mecũ agit. Ego vero vos ſtatim dimittam, neq; diſſimulatione vtar: inuſitatum enim, & à gente noſtra alienum vt homo Turcus mentiatur & fallat. Qui apud vos regnat, mihi debitas perſoluet pœnas. Dum enim mecũ amica verba loquitur, factus eſt cõfæderatus Ouarchonitarum, qui à noſtris ſeruis, eorum dominis, (indicabat autẽ Abaros) defectionẽ moliti ſunt. Et Ouarchonitæ quidem, tanquam Turcorum ſubditi, cum volutanquam Turcorum ſubditi, cum volutero, ſimulatq; in me proſilierint, ſi meum equitatum conſpexerint, flagellum in ipſos immiſſum, aufugient, & in interiora terræ, ſe abdent: Si conſiſtere auſi fuerint cædentur, vt par eſt, non gladiis, ſed formicarum inſtar conterentur vnguibus equitatus noſtri & perimẽtur & de Ouarchonitis res ſunt in tuto. Vos autem Romani, quid eſt quod legati, quos ad me mittitis, per Caucaſum iter inſtituunt, & dicitis aliò iter non eſſe? Id vt verè dicã facitis, quò me a vobis inuadendis, propter itineris difficultatem, auertatis. Sed tamen ego eximiè ſcio, quà Danapris flu-

uius, qua ister, qua Hebrus fluit & labitur, qua transierunt, in Romanorũ ditionem Ouarchonitæ, serui nostri, vt ipsam inuaderent. Neque ego sum nescius vestrarum virium. Omnis enim terra, quæ a primis Solis radiis incipit, quà vltimis Solis occidentis finibus terminatur, mihi paret & subest vobis ô miseri, ob oculos ponite Alanorũ gentem, atq; adeo ipsas Outrigororum tribus. Hi excellenti fortitudine & audacia præditi licet, & domesticis copijs freti cõtra inuictam Turcorum gentem acie congressi, nihil quicquam eorum, quæ sperauerant consecuti sunt & nobis parent, nostrorumq; seruorum nnmero habentur Hęc Turcxanthus cum magno fastu iactauit & effudit, erat enim homo vanæ gloriæ cupidus: cui Valentinus ita respondit; Nisi grauissimum foret, & maximè nefandum, ô Turcorum Dux, & qualibet morte pernicioſius, nos à te occidi, ex quo nunquã interitura apud omnes homines te maneret infamia, & facinus, nunquam anteà cõmissum, ausum esse, si legatos necares, reipsa omnibus notum testatumq; relinqueres, quod auditu ipso horrendum, facto longe horribilius & detestabilius

appareret, ego hic enſe tuo traiectus optarem extremum diem videre, cum audio a te dici, modò Imperatorem noſtrum mendacio delectari, modò nos ab eolegatos quo dolum & fraudem ſtruamus. Itaque te ſupplices oramus atque obteſtamur, vt nos benignis oculis intuearis, & tuæ iræ modum faciens, acerbiorem animi tui motum, æquitate & humanitate mitiges & places, & legi, quæ ſacroſanctos legatos eſſe conſtituit, pareas. Sumus enim pacis operarij & miniſtri & ſanctis rebus diſpenſandis præſumus. Atque etiam cum tui patris morte eius ditionis & omnium fortunarum hæreditas ad te peruenerit, paternos quoque amicos, tanquam paternam poſſeſſionem, tibi eius ſucceſſione obuenisse exiſtimes oportet. Etenim pater tuus ſpontè ſua ad noſtræ reip. amicitiam accurrens, magis Romanorum amicus, quàm Perſarum audiebat. Itaq; nobis fœdera vobiſcum ad hoc vſq; tempus neq; rupta neq; tranſgreſſa permãſerunt. Nunc etiam nos in eadem beneuolentiæ voluntate perſtamus. Vos quoque, in nos eodem animo eſſe planè cõfidimus. Sincera enim mens eius qui amicè & be-

neuolè ſentit, de eo qui longè à ſe abeſt, ab officio nõ diſcedit, neque alienior eſt, dum incertum eſt an interuenerit aliqua voluntatis mutatio : Hæc Valentinus & Turcxanthus, quandoquidem ô Romani, inquit, huc venientes, me in maximo luctu conſtitutum offendiſtis (recenter enim heri pater meus eſt mortuus) oportet vos facies veſtras gladijs deradere, & legi, quæ apud nos in iuſtis mortuorũ inualuit obtemperare. Tum confeſtim Valẽtinus, & omnes qui cũ eo erant, gladiolis genas ſuas deraſerunt. Vno etiam ex luctus diebus, quatuor captiuos Hunnos vinctos adducens, patri mortuo (dochia eorum lingua vocant quæ in iuſtis mortuorum obſeruari lege apud eos ſolent) illos inquam miſeros in mediũ proferẽs vnà cum paternis equis, barbara voce iuſſit hinc abeuntibus patri ſuo renũtiarent, quo modo eius res ſe haberent. Funere patris curato, Turcxanthus multos alios ſermones habuit, cum Valentino, & eum dimiſit in interiora dominatus Turcorum, & ad Tardou conſanguineum ſuum. Is ſedes ſuas habebat in monte Echel) valet autem Echel, aureus.

Eo cum Valentinus proficiſceretur ei minatus eſt Turcxanthus, ſe quam primum Boſphoron expugnaturum. Bochanum enim miſerat qui Boſphoron caperet, atque id Turci cum magnis copiis erant quam primum aggreſſuri. Præterea Anaucaius, iam dudum cum valido Turcorum exercitu, caſtra in his locis habebat. Dum vrbs & Boſphorus caperentur, erant Romanorum legati apud Turcos, tametſi Turci aduerſum Romanos, aperte bellum gererent. Eos enim qui miſſi fuerant, inter quos erat & Valentinus, Turcxanthus retinuerat, quos cum erga ipſos, petulanter admodum ſe geſiſſet & ludificatus fuiſſet & in aliis multis rebus male habuiſſet, tãdem dimiſit.

Vaſtata à Sclauinis Græcia, cum vndique alia ex aliis pericula imminerent & exorirentur, neque Tiberius ſatis copiarum haberet, quibus cum vna parte hoſtium, nedum cum toto hoſtili agmine manus conſereret, neque in eius potestate eſſet, hoſtibus obuiam ire propterea quod Romanorũ vires ad Orientis bellum conuerſæ erant, legatum miſit ad Baianum Abarorum Ducem. Is

tunc temporis non erat erga Romanos malè animatus, imò quo tempore primum Tyberius Imperium ſuſcepit iure reipubl. noſtræ, frui cupiebat. Mittebat autem ad illũ, vt ſuaderet cum Sclauinis bellum facere, quo illos, ſi forte deſiderium caperet, Romanorũ terras inuadere, ad ſua defendẽda, propriis malis reuocaret, & cum patriæ ſuæ opitulari Sclauini potius ducerent, rapinas agere, ex Romanæ ditionis terris ceſſarẽt. Hac igitur legatione, ad Baianum, à Cæſare decreta, ei nequaquam non obtemperauit. Ad ea procuranda Iohannes mittitur. Huic tunc inſularum, quiin eo tractu erant, præfectura & Illiricarum vrbium, adminiſtratio erat demandata. Is cum Peoniam acceſſiſſet, Baianum & Abarorum copias in Romanorum ditionis terras tranſtulit, & Olcadibus, quæ longæ appellantur, barbarorum exercitum traduxit. Erant vt fertur ferè ad quindecim equitum armatorum millia, quæ vbi huc tranſmiſit, ea rurſus, per Illirium duxit & Scythiam verſus iter tendens, cis Iſtrum, nauigiis quæ vtrimque puppim habebant reportare inſtituit. Baianus in vlteriorem fluminis ri-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [374] - 346

pam transgressus vicos & pagos Sclauinorum, igni ferroque vastauit, & cum nemo barbarorum auderet cum illo manus conserere (etenim in syluas & cauernas aufugerant) omnia quæ potuit, rapuit. Atque huic Abarorum in Sclauinos eruptioni, non sola Cæsaris legatio causam dedit, aut quod Baianus Romanis gratiam referre vellet, quod eum Cæsar liberalitate prosecutus fuerat, sed etiam eum priuatæ inimicitiæ mouebant, quia Baianus erat Sclauinis priuatim infensus. Miserat enim Abarorum Dux, ad Laurentium Sclauinorum Ducem, & eos qui apud gentem authoritatem habebant, vt Abaris dicto audientes essent, & eorum numero se ascribi sinerent, qui tributa illis pendebant. At Laurentius & gentis Principes, Quis hominum, inquiunt, est, qui Solis radiis tepescit, qui nostram potentiam possit sibi subigere & domare. Aliorum enim regionis dominatum, acquirere solemus, non alij nostræ, qui nos certo manet, donec erunt bella & enses. Ad hunc modum superbè & arroganter loquentibus Sclauinis, non minori superbia & arrogantia ergà eos Abari sunt vsi. Hinc

in probra & conuitia itum, & vt barbarorum est ferox & impotens ingenium in rixas & contentiones inter se præcipites ferri. Sclauini cum iræ moderari nequirent, legatos, qui ad se venerant occiderunt. Hæc audita nimirum Baianum abalienarunt. Cum igitur à multo tempore, hoc haberet, quod illis obijceret, reconditum odium in pectore gerebat. Atque adeo quia imperata facere noluerant, molestè ferebat. Et verò ne etiam oblata occasione se malo afficerent timebat, tum quoque Cæsari gratificari volebat. Accedebat quod multum auri, se in eorum regione reperturum sperabat, quia vicinas Romanorum terras, quas nunquam vlla alia gens attigerat, deprædati fuerant.

Traianus & Zacharias Imperatoris medicus inducias, vtrimque proposuerant. Tunc multis habitis sermonibus, perscriptæ sunt conditiones & à Traiano, & à Zacharia, quibus quoque scribendis Persæ adfuerunt, tamen eas ratas habere noluerunt. Etenim Mebodes, qui illic aderat, silere, donec conuentam pecuniam acciperet iussit, aut se hunc hominem (demõstrabat autem Toschodrum)

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [376] - 348

immissurũ minatus est, qui fines Orientis quà Romanis parebat, vastaret. Postremo immissus Toschodrus, plurimos vicos incendit, & agros populatus est, donec à Traiano aduenerũt, qui aurum protæderibus adferrent. Et Mebodes tanta erga Romanos vsus est contumelia, vt non dignaretur, pecunias pro fæderibus conuentas, in limitibus accipere, sed iuberet Romanos eorum periculo Nisibim deportare, multaque alia nõ toleranda, quantum ad numerationem pecuniæ, erga Romanos, superbè & cõtumelioſe se gerens commisit. Cosroes enim in spem adducebatur, etiamsi diem, qua exirent inducię, præueniret, & illas rumperet, fore vt eodem quoque postea res recideret, & Romani supplicarent, & si fortè aliquod egregium facinus ederet, Cæsarem perterrefaceret, qui tandem Armenia & Iberia & locis finitimis cederet, aut pluris vastationem Orientis, Persarmeniorum & Iberorum cessione faceret. Certior etiam Cosroes factus erat Cæsarem quàm maximum præparare exercitum, & iàm paulò antequam triennales inducię finituræ essent, quadraginta ferè dies, olcadas ad

traijciendos equites præmittere. Itaque Cosroes ex finitimis locis Daras, immittit, in mediam regionem fluuiorum, viginti millia equitum, quorum duodecim mille erant Persæ Scutiferi & Sagittarij. Quo tempore Saraceni & Saberi cum primoribus Romanorum, qua gentem, quæ in montibus habitabat, progredi oporteret, dispiciebant. Hoc autem non paruam attulit Cosroi vanæ gloriæ & impudentiæ apud omnes opinionem, quod inducias, tametsi pauci admodum dies restabant, quibus durabant impudenter violare non est cunctatus. Accedebat quòd qui in confinibus, cum Romanis conueniret, & pacem faceret elegerat, qui in ijsdem locis vt vere loquar eodem tempore & belli, & tumultus & violandarum inducarum author fuerat. Is erat Mebodes Dux & author omnium eorum consiliorum. Hũc qui summam omnium rerum haberet authoritatem cum exercitu misit, & vnà cum ipso Sapoem, Meaorani viri qui magnam virtutis laudem reportauerat filium.

Tiberius addidit decreto aliud Deo maxime gratum. Multos enim Persas

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [378] - 350

Romanorum captiuos, præcipué expri-
mariis viris, quorum numero erant non-
nulli ex regio genere orti, dono dedit
Cosroi. Deinde legatos ad hæc misit Za-
chariam iterum regium medicum. Hic
plures, & admodum Romanorum rebus
vtiles legationes in hoc bello fecerat, &
multas nationes Romanis conciliarat.
Itaque eum ad hanc legationem Impe-
rator elegit & dignitate exconsulis de-
coratum ad illam obeundam dimisit.
Vnà quoque Theodorum quendam qui
cum Zacharia huius legationis suasor
fuerat. Is erat vnus ex Imperatoris satel-
litibus quem ad Ducis dignitatem extu-
lit. Hos igitur duos viros quibus hanc
legationem attribuit, ad Cosroem misit
ad quẽ quoque litteras humanitatis ple-
nas scripsit. Tenor verò Epistolæ talis
fuit, Ego pacẽ volo & à Deo datã colam
& obseruabo, ita tanquam naturali quo-
dam instinctu, ad vestram amicitiã pro-
merendam feror. Paratus sum abstinere
ab omni Persarmenia & Iberia, tametsi
Persæ, qui Persarmeniam & Iberiam in-
colunt, velint mihi parere. Restituo &
Afumum castellum, & Arsanice vobis
cedo, modò oppidum Daras, pro his

omnibus à vobis obtineam. Hæc Tiberius Imperator, per Zachariam & Theodorum, quibus maximorum legatorum potestatem dedit, Cosroi litteris significauit. His etiam pacem pro arbitrio, vt res ferrēt, facere permisit. Et illi quidem duo viri, & si nondū se in viam dabant, ad eam legationem ire promiserant. Sed Cosroes Persarum Rex, his quæ illi cōtra sententiam acciderant, perculsus, anteuertit & ad Romanorū Imperatorem legatum misit, qui iàm hieme ineūte profectus erat. Is erat vir Persa, qui ad hanc legationem fuit delectus, nomine Pharachdates, & à Persarū Rege ad Imperatorem litteras detulit quibus certabat Persarum Rex officio & humanitate. Hæ sic se habebant. Si quidem rem iustam facere velles, ò Romanorum Rex! recte quidem faceres, si Persamenios Genearchas defectionis authores nobis traderes, vt meritas pœnas mihi darent, quia in finibus Persarum nouas res moliti sunt & turbas excitarunt, atque etiam si damna Persis illata rependeres. Si ista improbas, amicis officia debita ne deneges. Hoc feceris, si dederis operam, vt vtriusque reipubl. primarij viri

viri qui in confiniis sunt, conueniant & pacem si fieri possit inter vtramque gentem statuant & stabiliant. Quæ, vt ad exitum perducantur, oportet intermissionem aliquam ab armis fieri. Atque hæc epistola Cosrois continebantur. Dum Pherochdates Persarum Regis legatus, in regia vrbe, cum Tiberio Imperatore plures dies transigit, Zachariæ & Theodoro, qui in legationem profecti erant, per litteras significatur, vt in Oriēte subsistant, neque suum aduentum Persarum Regi indicare curent, priusquam à regia vrbe Pherochdates, Persarum regis legatus sit dimissus. Tādem Imperator Pherochdatem dimittit, cum multos mouisset, & cum illo habuisset sermones de his quæ prius ad Romanorū legatos scripserat. Sibi è re non videri inducias in lōgissimum tempus Persis cōcedere. Sufficere enim duorum aut trium mensium spatium, ei qui bona fide pacem tueri instituisset, ne longius tempus apparatus faciendi occasionem præberet si quis fraudem cogitaret. His ita confectis discessit à Byzātio Pherochdates. Romani & Persæ sanè pacem feciſſent nisi Cosroes ex hominum numero sublatus & Hormis-

das eius filius (sceleratus hic vir fuit) Cidari redimitus fuisset. Neque ego sum in alia opinione quin pax stabilita esset, si adhuc superstite Cosroe, Zachariam & Theodorum legatos aduenisse in Persidem contigisset. Etenim tunc temporis nondum adhuc Syriam transgressi erant, neque tamen quicquam ideo, ex eorum legatione mutatum est. Itaque litteræ, ab Imperatore illis redditæ sunt, vt continuarent iter. Sibi quidem nuntiatum esse, inter id temporis Cosroem mortem obijsse. Veruntamen, se esse eodem in filium animo, & paratũ, secundum ea quæ à Cosroe scripta erãt, à bello discedere, neque propterea omitterent Persas captiuos, libertate donatos, in manus Regis Persarum tradere. Itaque Romanorum legati, animo præsumentes, se cum honore & faustis acclamationibus exceptos iri, ad Nisibim peruenerunt. Et Persæ quidem Romanorum erga captiuos humanitatẽ magnopere sunt admirati. Interea Tiberius Imperator, vere ineunte, rursus misit Mauricium ad Solis ortum, qui quod eueniret expectaret, & illi imperauit, vt Regi Persarum, quocumque se verteret oc-

curreret, & inquamcumque partem res caderent, ad omnia momenta, & omnes casus, se præpararet. Et ille quidem, vt Rex præceperat, in Oriente substitit, & obseruabat quid facto opus esset. Cum igitur legati in Persidem veniissent, ad Persarum Regem, qui recenter, ad thronum Regium ascenderat, sunt introducti. Spem habebant, sibi multum honoris & humanitatis, impartitum iri, quamuis vt sibi honos haberetur, non valdè, laborabant. Etenim post tam insignem victoriam, sermones adferebant, ab Imperatore Romano, comitate & humanitate plenos, & ab omni insolentia remotos. Neque verò, solum se verbis comem & benignum, præbebat Imperator, verum etiam reipsa, cum tot captiuos Persis restitueret. Et ex eo putabant fore, vt quæ sperabant, sine controuersia, consequerentur. Res in cõtrariũ vertit inprimis. Vnus ex his qui Regi in negotiis & regijs & publicis ministerium præbẽt, quos Latini à Secretis vocant, obuium, se media via, legatis tulit, & eos est percunctatus, Quid vellent, qua de causa venirent, & quid nuntij adferrent. Huic Zacharius, & Theo-

dorus, reſponderunt; Id non illi, ſed magiſtro vt loquuntur Romani, dicendum. Hæc vbi dixerunt, viam perrexerunt. Poſt hunc & alius quoque, ex Perſis venit, qui via præibat. Is tardius de induſtria incedebat, & eos cunctari faciebat, neque vlterius progredi ſinebat, ſtatiua proximiora habebat, & paucas paraſangas conficiebat, & ex aliis locis, in alia loca, huc illuc errantes & palantes traducebat. Et in eo ſe illis malè cupere ſatis indicabat. Etenim eos nulla humanitate colebat, & nulla habita ratione obſeruantiæ, quæ legatis debetur, viarum erroribus fatigabat. Et id quidem Perſæ data opera, & præmeditato conſilio faciebant, quò legatos morarentur, & detinerent, tanto tempore, quanto poſſent, quam maximum interea belli apparatum facere, & commeatus, iam antè cum nihil neceſſe erat, reconditos, in vrbibus Niſibis & Daras congerere, atque etiam vltra Tigrim amnem caſtella eduliis & cibis repleta munire. Ne quia Perſarum Rex (qua erat ſuperbia) bellum geſturus erat, ſi caſtra ibi faceret, eos qui in illis eſſent, violenta fames opprimeret. Etenim locuſtæ ſic

casus tulerat, fruges harum prouinciarum depastæ fuerant, & crebris Romanorum incursionibus desolatæ permanserant. Cum Persæ hoc consilij cepissent, vix post multos dies, permissum est legatis, in Regiam pedem inferre. Et primum quidem, vt moris est, sunt conuiuio excepti, à quo postquam litteras ab Imperatore tradidissent & captiuos reddidissent, cum eos Persæ nullo liberali & benigno sermone affati essent, discesserunt. Postridiè aulæ apud Persas Dux, & Mebodes eos interrogauerunt, quæ esset ipsorum legationis potestas. Cum legati respondissent se vt de pace agerent venisse, eam responsionem Persæ non admiserunt, & dixerunt: Tale aliquid vestræ curæ demandatum non est. Itaque Syllabas proferre, & vicissim accipere oportet, aut quam primum, à Persarum finibus excedere. Et cum legati eorum iussionis & mandati copiam exhibuissent, Persæ omnia, quorum causa legatio decreta esset, cognouerunt. Scilicet vt Imperator paratus esset, mala ex bello orta sopire & Armeniam, quæ nunquam ab his expugnari potuerat, sine prælio eorum iuris

& potestatis facere. Quin & Arsanin em cedere, modò sibi viciſſim Daras & Afumorum castellum concederent. Denuo Persarum Rex legatos excepit, & ad ea quæ Imperator ad illum perhumanè scripserat acerbè admodum & arroganter respondit ; Se nunquam vrbe Daras cessurum non magis, quàm Nisibim aut Singara, quas vrbes à Romanis per vim captas habebant Persæ, neque quicquam ex possessionibus quas illi pater reliquit diminuet, sed potius, si non auctiores faciat, saltem quantum in se erit, conseruabit. Pater Cosroes, si vixisset, fortasse eò descendisset, & Daras Romanis restituisset. Ei enim qui quæsiuit, à se partis renuntiare non adeò turpe. Pudori autem est omnibus hominibus paterna profligare. Hæc vbi dixisset. Rursus per Mebodem alia fere huiusmodi suggessit. Prospero rerum successu, elati Romani, fortasse æquum censent, Daras à nobis recipere, qua victoria quæso potitis, quibus trophæis clariores facti ? vbi denique superiores Persis euaserunt ? Imperitia quidem & imprudentia Tachondri res bene gesserunt, dum ipsum, de vna re-

gione in aliam circumagunt, & modò ex Armenia, in Arſaninem, modò ex Arſanine, in Armeniam excurrere cogitur, regionem Perſarum, quæ eſt ad Orientem, depopulati ſunt. Hoc eſt fortaſſe quod magnos ſpiritus gerunt, quo ſuperbiunt, quod illos effert, exiſtimantes deteriore conditione res noſtras proſtratas iacere. Sciant Romani, inquit, me non aliis conditionibus pacem fieri permiſſurum, quam ſi perſoluant omnes pecunias, quas Iuſtinianus ſingulis annis nobis pendere erat ſolitus. Hac inſolenti oratione Horſmidas vſus, vix tribus demum poſt menſibus elapſis, quibus Zacharias & Theodorus in Perſide fuerunt, difficillima & grauia quæque experiendo perpeſſi, miſſionem obtinuerunt. Neque enim purum aera haurire, neque liberè ex tecto, ſub quo diuerſabantur in apertum & ſub dio proſilire eorum cuſtodiæ præpoſiti permittebãt. Domus verò in qua habitabant erat obſcurior & cum in eã ex omni parte venti perflarent, vndique cœli iniuriis patebat & æſtatis conſtitutio, valdè inconſtans erat. Poſtremo reuera domus videbatur carcer. His igitur malis & incommodis

attritos & confectos multò grauiora in reditu passuros dimisit. Nam nec illis rerum necessariarum copiam, quoad satis esset administrabant, diem de die ducebant, & longioribus itineribus eos fatigabant. Etenim quod viæ vno die confecerant, alia die iter retro habebant, & alia via vnde profecti erant, redibant, donec in vlteriora deinceps progressi, multis ærumnis conflictati, ita vt vnus eorum in grauissimum morbum incideret, tandem Persidę excesserunt. Hęc igitur legatio ad Imperatorem reuersa est, quæ longe alium, quàm qui in omnium spe & expectatione erat habuit exitum. Nec enim quisquam vnquam existimasset, cum Romani ita faciles & moderatos se præbuissent, fore vt Persæ à pace abhorrerent. Itaq; iure & merito Mauricio præceptum fuerat, vt ad bellum cõmodiori ratione qua posset, se cõpararet, & quantum ad cætera attenderet, vt facultatem negotiis simulatque se offerrent, subueniendi haberet. Neque verò exercitus, quoad cætera male habebat. Stipendia enim persoluta fuerant. Tiberius bellũ cõtra Persas finire in animo habebat, idq; gratũ Persarũ Regi futurũ erat,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [388] - 362

Itaque iterum Zachariam elegit, quem ad limites Romanorum & Persarum legaret. Iam enim & sæpius antea eius opera in huiusmodi rebus vsus fuerat. Is vt illi denuntiatum est, vt ad Persas profectionem adornaret, profectus, in Persia constitit. Eò Persarum Rex Andigan mittit. Hic vir erat admodum prudens. Etenim multa negotia, & magni momẽti, quæ ab ineunte ætate, ad extremam vsque senectutem, ad quam peruenerat, tractarat, illi mentem acuerant, & multarum rerum vsum pepererant: post quã autem ad Daras conuenerunt, & cũ his vrbium tam earum quæ Romanis quàm earum quæ Persis parebant primarij viri: vtrique in eius disquisitione versati sunt quomodo bello finis imponi posset. Ille qui confinium Protector erat (Significat autem apud Romanos eum, qui est ad eam dignitatem electus quem Græci, vocant Imperatoris Proschepastem, id est statiuorum Imperatoris præparatorem.) Ille inquam tecta præparanda curauit, (hæ enim sunt, istius magistratus iam tũ ab eius institutione partes) sub quibus ab vtraque rep. missi, conuenirent, qui ea de quibus antea dictum est, inter se agita-

rent & discuterent. Itaque istic præparatis diuersorijs, cum in illis Andigan, & Zacharias & principes cõfinium viri vnà essent (eò enim Andigan ex Daras & Zacharias ex Mardis venerant) Zichus ijsdem rursus rationibus ius suum, defendit & tutatus est, quibus in superioribus colloquijs erat vsus. Volebant enim Persæ, à multo tempore pecunias, quas soliti erant, ex conuentione & pacto, temporibus Iustiniani inito, à Romanis accipere, & præterea retinere Daras. Romani verò contrà, ne quid pecuniarum darent pugnabant, ne quasi pœna & mulcta quadam, pacem redimere viderentur. Imò & vrbem Daras recuperare statutum habebant, & eam Persarmenia & Arsanene commutare offerebant, modò earum prouinciarum habitatores, qui se ad reip. Romanæ authoritatẽ contulissent, ea deditione non continerentur. Multæ vltrò citróque, vt par erat, in tanto negotio adductæ & in mediũ propositæ fuerunt pacis faciendæ rationes, neque tamen facto comprobatæ. Nec enim inter se conueniebant, sed Andigan Zachariæ resistebat. Et cum pacis conditiones minimè honestas imò Ro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [390] - 364

manorum rebus ex omni parte damnosas & inutiles ferret, hæc dixisse fertur: Mœnia & portæ, & si quod aliud ô Viri, munimentum poterit quidem,(sic enim conuenit) seruare & vrbem & vniuersam remp. quibus qui inclusi continentur,facile est occultare. Res enim, quæ fama percipiuntur, opinione & constitutione sunt quodammodo incertæ quæ audiendæ omnibus proponuntur, quemadmodum emere volenti in foro ea quæ palam prostant & veneunt. Verumtamen certò scimus Romanum imperium, cum multis populis bello contendere,& per pleráque terræ habitabilis oras, arma circumferre. Ex quo fit, vt eius copiæ latè dispersæ sint, aduersus vnum quodque barbarorum genus. At verò Romani, sciunt nostrum Imperiũ, non sine ratione, cum nullo alio hominũ genere, quam cum Romanis bellum gerere. Itaque quoniam vos, cum multis gentibus bello decertatis, & vobis, cum nobis solis bellum est, inducias nobiscũ facere est necesse, nisi forte, apud animũ suum Romani statutum & confirmatum habeant, sufficere simul & ad dimicandum cum multis nationibus & contra

vnum Persarum imperium. Sic enim nobis planè certa explorataque erit victoria quandoquidem cum nullis alijs, quàm cum solis Romanis nobis erit certamen & contrà vnum eundémque hostem, vnum idémque bellum instruemus. Quę cum Andigan dicentem Zacharias audiisset, dicitur subrisisse & ita locutus, Bene tibi sit ô Andigan & homini in Persia nato, qui fortitudinis & virtutis testimonium Romanis præbes, neque veritatem auersaris & expellis. Nisi enim, vt dicis, Romani ingentem multitudinem suorum exercituum, ad tam multas gentes, terræ habitabilis extendissent, & copijs, tãquam pontem mare feciissent & in omnes partes, hac inuadendo, hac perstando, continentia iunxissent, quid existimas Persas passuros, aut quandiu hoc bello tolerando pares futuros fuisse? Iam nunc de toto nomine Persico actum foret, neque vlla gentis, nisi deuictæ & subactæ, memoria restaret. Hæc vbi dicta sunt à Zacharia, Andigã sãtis silentio indicauit se dicendo à Zacharia superatum. Dum inter se colloquerentur Tachosdrus Persarum Dux cum exercitu Persico castra habebat, ad Mygdonium

amnem, circa Nisibim in campis equestri pugnæ & alendo equitatui per quàm opportunis. Mauricius vero vallo continebat suos milites in loco quem vocant Monocartum, prope portas vrbis Constantinæ. Sunt enim omnia loca ad Monocartum, aquatui, & equorum pastioni commoda, & exercitui sub pellibus habendo apta. Adhunc modum illi se fossâ & vallo munierant. Cæterum Andigan dum adhuc in concilio essent exterrere Zachariam & deludere est aggressus. Se enim solum impedimento fuisse prædicabat, quominus Tochosdrus omnem Romanorum ditionis regionẽ, igni ferroque proscinderet. Tum fortè fortuna eodem tempore quo cum illo verba faciebat, ecce ex composito in eorum conspectum venit, vnus ex his, quorum sunt partes citis equis adequitare, & nuntia equorum velocitate perferre, qui se à Tochosdro missum fingebat. Is Andigan secretò subtrahit & à Tochosdroepistolam tanquam iàm longe antè scriptam tradit. Hac continebatur exercitum Persarum minimè contineri posse quin Romanorum terras inuadat & in eas impetum faciat. Huic

mendaci epistolæ & his quæ in illa scripta erant congruebant, puluis qui nuntia, tanquam recens de via fesso & aduẽtanti, ex fictione comis & capillis multus inerat. Andigan quoque differens, se se vultu componebat & omni alio corporis motu comparabat, vt videretur tanquam minimè bellum appeteret. Itaque à colloquio cum se reliquis immiscuisset Zachariæ dixit: Sibi molesta esse, quæ à Toschodro nuntiata erant. Etenim per litteras significare incredibilẽ esse Persici exercitus ad pugnandum alacritatem, quæ nullo modo comprimi posset. Constare Persarum aciem multis hominum millibus, quibus nihil aliud sit in animo, quàm in Romanorum ditionem impetum, facere & eam igni ferroque vastare, illos quidem armis temperaturos, si Romani ea conditione, qua Persæ voluerint, fœdera fecerint. Sin recusarint, Toschodrum ab eo petere, vt per illum sibi liceat Romanos ad Orientem aggredi. Quod si accidat, minimè in Romanorum potestate fore ne quidem auditu ipso strepitum pharetrarum Persicæ multitudinis sustinere. Ni faciant, timere ne in se iram Regis sui commo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [394] - 368

ueant, quod tanto tempore distulerint bellum gerere. Ad hunc modum Andigan dolosо & magniloquo verborum fastu & ornatu vtens simulabat minimè se volente bellum fieri, quod tamen eius permissu gerebatur. Cum autem Zacharias satis intelligeret fraudem quæ subesset his quæ Andigan dixerat, & exquisito verborum ornatu quæri colorem & prætextum mendacio, ô Andigan, inquit, non in decipiendo, prudentia declaratur, maximè, si is qui decipitur, id quod agitur intelligat. Nec enim existimes velim me ignorare ista omnia quæ Persæ dicunt & faciunt, esse res fictas, neque aliud quam simulationem, sunt, sũt artes & rectæ calliditates, quas tu ipse commentus es & excogitasti, eò tendens, vt Romanos perterrefacias, si fortè adducar, quicquid volueris & tibi libitum fuerit, facere. At tu scito, initio quidem huius belli, Romanis graue & durum fuisse, adarma gestanda deuenire. Etenim vos deprecati sumus, ne eorem adduceretis, vt nos arma capere cogeretis. Tunc enim Romani ad cessationem à bello tam propensè ferebantur, vt Apamiam, imò & Antiochiam vsque

Persæ cum manu militari progressi sunt. Cum autem Romani in ea voluntate perstarent, vt se à spontaneo periculo, saluos & incolumes, seruare vellent, neque vos ab incepto desisteretis, opinor, quia vos sine sanguine ad fines ipsos vsque peruenire posse cerneretis, artes bellicas necessariò edocti, audaciores facti sumus, & spe ducimur, si se commouerit Tochosdrus, obuiam eius conatibus in ipsis cõfinibus ituram Romanorum acutam hastam quæ transadiget costas. Hæc à Romanis ita facta sunt tanquàm qui probè nossent Persarum dolos. Et plures huiusmodi inter se habuerunt sermones, sed frustra, nihil enim inde est consecutum. Tum Zacharias Mauricium per litteras monuit, vt in planitiem quæ est ad Constantinam accederet & prælium committeret. Similiter Tochosdrus mouens cum omnibus Persarum copijs, eas ad Constantinam adduxit.

Romani & Abari per tres dies in expectatione decertandi fuerunt, sed cum Romanorum copiæ longè imbecilliores essent, neque vllæ apparerent quæ pontem qua itur in Dalmatiam, tametsi parum munitus esset, oppugnarent; Apsichus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [396] - 370

chus, & qui cum eo erant Abari, qui illic prius ad pontis custodiam consederant, tam parui Romanos facere demonstrarunt, vt ad alium Pontem se conferrent, per quem alias copias copijs Baiani adijcerent. At qui in Sirmio erant ingenti fame oppressi cibis nefandis se sustentabant, & rerum necessariarum inopia laborabant propterea quod hostes pontem in Sao fecerant & traiectionem impediebant. Prætereà Salomon qui tũc temporis Sirmio præerat, parum diligenter res administrabat, neque se vllum rei militaris vsum habere ostendebat. Itaque ciues & vrbis incolæ minimè duris rebus assueti, eiulari & cum ad extremas spes redacti essent, omnium istorum malorum causam in Duces Romanos reijciebant. Postremo Theognis paucitate militum laborabat. Hæc vbi Tiberius didicit potius esse duxit, vrbis deditionem facere, quã ciuiũ multitudinem in captiuitatẽ & seruitutem vna cum vrbis amissione abduci sinere: itaque per litteras iussit Theognidẽ bellũ cõuentionibus soluere vt liceret, omnibus qui in vrbe habitabãt saluis & incolumibus eâ exire, ne-

que quicquam ſuarum rerum inde aſportare pręter victum, & indultum indumentum vnum. Itaque in has conuentiones conſenſerunt & bellum his conditionibus deſijt. Vt Romani Abaris vrbem dederent & Abari Romanis omnem quæ in ea erat multitudinem, abſque his quæ vnuſquiſque eorum in bonis habebat concederent. Exegit etiam Chaganus trium prætitorum annorum aurum quod non acceperat, & illi Romani ſoluere ſolebant vt armis abſtineret. Erant vero pecunię, quæ pro pace vno quoque anno pendebantur ad mille octuaginta nummi aurei. Præterea vnus ex his qui ſub eo militabant, in Romanorum regiones fugerat, quia dicebatur adulterium cum Baiani vxore commiſiſſe. Hoc ſignificauit Theognidi & ſibi transfugam reddi poſtulauit, ſéque eum non aliter paſſurũ fœderum cõditionibus frui. Theognis reſpondit Romani Imperatoris ditionem longè latéque patere, in qua propterea quod ampliſſima & vaſtiſsima eſſet, res difficilis inuentu foret, vir exul in ea errans, qui fortaſſe etiam iam perijt. Ad ea Baianus dixit: Iurent igitur

Romani proceres se perquisituros & si transfugam repererint, non occultaturos, sed omninò eum in manus Abarorum Monarchæ tradituros, nisi fato functus sit, quod illi significabunt.

FINIS EORVM QVÆ EX Menandro sunt excerpta.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [399] - 373



CANTOCLARI IN EXCERPTA NOTÆ ET emendationes.

ISTA Lector, fateor non sunt nisi Excerpta, ne illa quidem magna cura, & diligentia excerpta, sed tamen quorum lectio magnam tibi & vtilitatem, & delectationem est allatura. In illis enim cernere est, ab hinc mille annis, in legationibus vsurpari solita, quæ hodie quoque inter nostros Principes vsurpantur. Multa præterea continent, cognitione digna, quæ non alibi reperias. Neque verò legationum cognitio, in reip. administratione parui momenti est. Etenim omnia quæ inter Principes foris contrahuntur, imò & domi pleraque per legatos administrantur, quæ qui nouerit, omnem reip. administrandæ rationem teneat consequens est. Verè equidem Cicero: Legati sunt nuntij pacis & belli, curatores, interpretes bellici consilij, authores, ministri muneris prouincialis: Addo ex nostris excerptis: & rebus quæ sanctiores inter mortales habentur, dispensandis præsunt. Itaque hæc Excerpta de legationibus, lubenti animo Latina fecimus,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [400] - 374

Et verò multis in locis poluimus, quòd non assecuti essemus si tamen assecuti sumus, si verbum verbo reddidissemus, sunt enim vt excerpta, valde concisa, & multis in locis diuersam interpretationem capere possunt. Accedit quòd multis mendis scatent, & nullum aliud, quàm impressum exemplar nacti sumus. Itaque breues Notas, præcipuè si quando à Græcis paulo longius discessimus, & emendationes hic adiecimus. Geographica quoque, sed paucis attigimus. Nam omnia fere locorum, regionum, vrbium, fluuiorum, atque etiam populorum præcipuè Scythicorum nomina ita corrupta offendimus, vt nihil reperiri possit corruptius, quæ tamen, quà potuimus, restituimus. At tu lector nostram operam qualemcumque æqui bonique consule, & Vale.

INSCRIPTIO huius operis in exemplari Græco est Συλογαὶ περὶ πρεσβέων quæ Excerpta de legationibus, vertimus: Collectiones aut Collectanea vertat qui volet. Sed Græca præfatio, quæ authores, vnde ista desumpta sunt enumerat, aliam inscriptionem habet. Scilicet De Legatis Romanorum ad Ethnicos: diuersam etiam ab ea inscriptione, quæ Dexippo, à quo ista Excerpta incipiunt, præponitur, Est enim De Legatis Gentium ad Romanos. Deinde subijcitur, quos legatos Imperatorum Romanorum Ethnici admiserunt, qua forma eos exceperunt, & quæ in illis excipiendis obseruarunt.

Pag.1.lin.5. pro λογικώτερον lego λογιώτερον.

Pag.2.lin.3. pro ἀκθὰς vide num ἀκθόσας cum intellexisset.

AD DEXIPPVM.

IVthungos Ammianus lib. 17. partem Alemaniæ esse dicit, conterminãtem Italiæ tractibus, Vide Poll. in Aurel.

Pag.4.li.7. μυριάδας δ repone λ. Sic enim pag.6. lin.8.

Pag.5.lin.18. καθ' ἵνεσιν mallem καθάνευσιν, assentionem: & ita ad verbum verte; etiamsi, quantum ad hoc victoribus consilium non esset in promptu, potius ad denegationem, quam ad assensionem aut concessionem: ἄρνησις καὶ κατάνευσις sunt opposita. Cæterum si ἰνέσιν legas ita verte, etiamsi, quantum ad hoc victorum voluntas non esset magis prompta ad denegationem, quàm ad profusionem & suarum rerum exinanitionem.

Pag.6.lin.3. ἀμαθία inscitia, imprudentia.

Ead. Pag.lin.xi. χαλμιόνων Græcum non est emendo παρ' χιώνων.

Lin.28. ἐξ ὧν τὸ ἐλπιζόμενον Paulo longius à Græcis recessimus à verbis quidem, sed non opinor à sensu. Propius ad verba accedens sic verte. Ex quibus speratum lucrum non infirmũ & longè impar oneris grauitati. Id est quod oneris grauitatem lõgè excedit, magnitudo animi longe excedit dolorem & calamitatem.

Pag.7.lin.18. ἐνδιάσαντες non ἐνδυάσαντες.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [402] - 376

AD EVNAPIVM NOTÆ & Emendationes.

CHamaui sunt Tacito & Marcellino Germaniæ populi, sed aduerte hic dici impossibile fuisse Romanis in suas colonias, Chamauis inuitis, commeatus è Britannia inuehere.

Pag.9.lin.7.legi ἐυπαθῶς non ἀπαθῶς: Sed si ἀπαθῶς legas, verte, animo condoluit & his quæ dicta erant, sine sensu doloris illachrymauit.

Pag.9.lin.19. Vbi mysteria omnia fuerunt peracta.

Pag.10.lin.18.& 19. Legi διχαζομένης πειθων ἐυδοκιμει. λέγων. Fronto vir pius & doctus ex Cassaubono legit χαὶ ὁ ἐκ Κλαζομένων Πίσων. & Pizo Clazomenis ortus dicendi facultate clarus fuit.

Ead.Pag.lin.31.lego χομῆσαι. Etenim χυπῆσαι τὰς χομὰς capillos mouere, vix est vt mētis ferociam significet. Sed comas nutrire petulantiam indicat.

Pag.13.lin.4.& 5. Vt simul atque aurum per ea tempora calamitosa in Thracia ostenderetur, Mysorum vt est in prouerbio, præda esset: id est illud impune liceret à quouis eripere. Mysorum enim præda de direptione & grassatione pro libidine facta nullo pœnæ metu dicitur.

Pag.14.lin.12.lego. ἐμείνεσαν si ἐμεμήνεσαν, legas, verte Insanierunt.

AD PETRVM PATRICIVM & Magistrum Notæ.

Pag.16.lin.16.συγχρο]ήσεως indulgentia,largitione.

Pag.20.lin.13.leg. διαρηξάσας laceratas quæ vox, est omissa in interpretatione Latina.

AD PRISCVM NOTÆ & Emendationes.

Fol.21.linea 12. Ἐκ ἱστορίας τῆς Πέρσικῆς Ῥήτορος. Puto hanc collectionem esse excerptam ex iisdem libris, ex quibus ea quæ sequitur, quæ tamen fusior & plenior est, præsertim quantum ad legationis ad Attillam narrationem.

Lin.14. πανηγύρεως. Antiquo fœdere inter Romanos, & Scythas cautum erat, vt Romani certo tempore, ad ripam Istri, mercatus haberent, vnde Scythis desumendi ea, quæ sibi opus essent, facultas esset hos mercatus πανήγυρεις vocat.

Lin.18. Μάργῳ. Margus vrbs ad Danubium. sita, in Illyrico Mysorum, inquit Priscus. Sed Eutropius,& Eusebius Murgum vocant,& Iulianus in Encomio Constantij, si tamen Iuliano adscribi debet, quem ante viginti annos edendum curauimus vnà cùm Iuliani libro de Cæsaribus.

Lin. 25. Viminacium oppidum quoque ad Danubium, in Mysia inferiore. In eo oppido Seuerus filium maiorem, appositio Aurelij Antonini nomine, Cæsarem appellauit, inquit

Spartianus. Multa extant Impp. rescripta Viminacij data. l. 16. de furtis & ser. C. l. 24. C. de fideic. l. 14. C. ad leg. Fal. Posteriores ferè Impp. in Parmoniis frequenter erant, nonnulli etiam in illis orti.

Fol. 22. lin. 2. διανίσασι.

Lin. 5. Ratiaria vrbs quoque ad Danubium sita, non multum à montibus Thraciæ distans, Ptolomæus Ραπαείαι Μυσῶν. Vide itinerarium Anton. & Not. Imp. Extant quoque rescripta Ratiariæ data. l. 8. C. communia de succeſſ. & plæraque alia.

Fol. 23. lin. 1. lego, σωνεισφέρειν πάντας ἠνάγκασαν, δεσμὸν εἰσφερόμενοι.

Lin. 5. βίᾳ μεταβολή. Sensus est ambiguus. quid si ita vertas, multis splendida, & illustris fortuna exitio fuit, in quam mentem nos quæ sequuntur impellere possunt. Etenim de rebus suis desperantes, cùm se viderent ad egestatem reductos, sibi violentas manus adferebant. Quid si ita vertas, multi splendidam & illustrẽ fortunam misera commutarunt.

Lin. 10. locus est corruptus. Duo oppida à Ptolomæo, Antonino, Ammiano, & authore Not. Prouinc. Imp. Rom. recensentur in Pannonia inferiore ad Danubium. Prius est Acumincuna quod & Acuminicum. De eo Ammianus lib. xix. Secundum est Acinthus, de quo idem Ammianus lib. 31. & Sidonius in Panegyrico ad Maiorianum.

-- Quà Martia pollet Acinthus.

Itaque cum nullum oppidum sit in Pannonijs, quod Assemus vocetur, hic legendum esse exi-

ſtimo Ἀκινθος, & Ακινθόποι, aut Ακμονιὰς & Ακμόνποι. Prius tamen malim. Cùm enim Sidonius, Martiam Acinthum vocet, qui erat horum temporum æqualis, adducor, vt exiſtimem alludere ad ea, quæ hic narrantur.

Fol.25. lin. 5. Ακεὶ Νόβων τ̃ Θρακίων. Nouas ſub diſpoſitione ducis Meſiæ, non Thraciæ eſſe vult. Not. Prouin. Neque Nouas in Thracia legere memini. Non longè tamen Nouas abeſſe ab Æmoniæ parte, Iord. tradit. Quid ſi ὀρῶν τ̃ Θρακίων legas, vſque ad fines, aut ad montes Thraciæ, Attillæ ditionem porrectam fuiſſe?

Lin. 12. leg: Σάρδικιν.

Fol.28. lin.16. Vide num Ρωμαίους μὲν αἰχμαλώτους.

Fol.29. lin.4. Vide num ἐπηγήσαλο, aut εἰσηγήσατο. lin. 28. ὁρμωμένῳ. lin. ſequenti, συρατευομένῳ.

Fol.30. lin. 17. leg. ἠθῶν loco ἐθνῶν. lin. 19. vide num ἀχθὶν loco ἀυτὶν.

Fol. 31. lin. 12. Vide num legendum ſit loco ὑπάρχον, aut ὑπάρχῳ, aut ὑπὶκιν.

Lin. 20. lege Σκίρροι. De quibus vide Euagrium, & Iord.

Lin. 22. loco ἄπερ, lege Ἄπαρ.

Fol,32. lin. 2. vide num ἐπαγόντων, loco ἀπαγόντων.

Lin. 11. καὶ οὐκ ἦν τῶν Ρωμαίων ἀδήωτος, &c. nec enim aliter ſenſus conſtare poſſe videtur,

Lin. 26. εἰς πνὰ κοῖλον χῶρον,

Fol.33. lin. 2. vide num ἀμελεθήσονλαι. Si ita legas, ita verte. Ita enim facilem fore ductori

vniuſcuiuſque militaris ordinis curam, & adminiſtrationem eorum, qui ſuo ordini ſorte obuenerint, quàm ſi ſe committerent ducibus vniuerſi exercitus, qui ſolis honorum cupiditatibus ſtudentes & indulgentes, eos eſſent neglecturi. Sed noſtram verſionem probat Caſſaubonus, vir omni laude digniſſimus, cuius iudicio plurimum, vt debeo, tribuo.

Lin. 24. τῶν οἰκείων, lege τῶν ὑπηνδείων.

Lin. 25. vide num loco διώξαθαι, legendum ſit πληρώξαθαι, vt ſit ſenſus, Romanos pugna cõmiſſa, ex his, qui ex Scythis reliqui fuerint ſuos ordines repleuiſſe.

Lin. 27. difficilis locus, & cuius ſenſum niſi diuinando aſſequi poſſis. Laxiorum Sauromatum gentis, qui habitãt in receſſu Paludis Meotidis, meminit Herodotus in Thalia: Forte Lazi. Etenim Colchis non multùm inde abeſt. Eſt autem Colchis, Aſiæ regio, cuius incolas Lazos vocant, Procopius, Agathias, Gregoras, & Suidas. Et Colchidem in duas prouincias diuidi, Stephanus author eſt, in Mengreliam: quæ mare attingit, & Laxiam quæ inferius habitatur. Sexta Synodus Conſtantinopoleos, Theodoſius indignus Epiſcopus Phaſidis in Lazige, &cæt.

Fol. 34. Ἀμάλξροις, &c. Gentes ab Hunnis deuictæ. Vide Iord.

Lin. 3. loco παρηρήμνος, lege παροαιρέμνος.

Lin. 7. Plinthas, & Dionyſius huic legationi obeundæ ſeſe obtulerunt.

Lin. 9. pro ὅπατον, malim ὑπάτῳ.

Lin.11. O rem periculosam, & animaduersione dignam!

Lin.17. Margus Eutropius ait, Diocletianum Carinum apud Murgũ (sic enim vocat) vicisse. Quod verò hic addit, πόλις ἐν Ἰλλυρίᾳ βοσῶν, vide num ἐν Ἰλλυρίῳ μοσῶν.

Fol.35.lin.4. Videtur deesse, ἐδάκει δὲ.

Lin.23. O rem Imperatore Romano parum dignam! & minimè miror, sub tali Imperatore concidisse Imperium Romanum.

Fol 36.lin.1. Aduerte differentiam inter nuntium, & legatum.

Lin.5. Priscus itaque à Theodosio non est ad Attillam legatus missus, sed à Maximo legato comes legationis assumptus.

Lin.6. Σερδικῶ. Eutropius Maximinũ Gallerium Imp. in Dacia non longè à Serdica natum, auctor est Ammianus lib. 31. & Serdicam Macedoniæ vrbem dicit. At Ptolomæus Sardicam per a inter Mediterraneas Thraciæ vrbes annumerat. Suidas per e Daciæ. Sozomenus lib.3.cap.10. per a scribit, & ponit in Illyrio. Hæc vrbs est nobilis Concilio Serdicensi. Plurima extant in Codice Iustiniani Imp. præscripta, Serdicæ data.

Lin.9. Ὑποδομένων, vide num Ὑποδιδομένων, aut Ὑποδόντων.

Lin.29. ὡς εἶπον μοὶ. Sed si εἴπομεν legas, ita verte, Nos ei retulisse ea, quæ dicta fuerant.

Lin.29. καταλύμασι, lego καταλείμασι, ruinis reliquijs à καταλείπω, quãquam & καταλύμασι à καταλύω ferri posset, habitationibus. Sed mihi verisimile non fit, barbaros ædibus

sacris peperciſſe. Itaque legendum puto, κατὰ λείμασι.

Lin. 30 lego ἀπὸ ποταμῦ. Nam ἄνω qui cõuenit? Cærerùm quis fluuius? Iſter? non puto. Etenim quinque dierum itinere Naiſſus diſtabat ab Iſtro.

Eadem lin. καπαρῶ quid ſit, neſcio, etſi Heſychio κατάκλιτα ſunt τὰ σκορπικώτερα τῆς φάτνης: ſed hæc nihil ad propoſitum. Itaque lego καθαρῶ, vacuo.

Fol. 37. lin. 19. lege ἡμᾶς. lin. 25. loco αὐτῶν, lege ἄλλων.

Fol. 38. lin. 1. & præcedentia ita verte: Nos verò obteſtari nuſquam hanc legem legatis impoſitam, vt antequam eos, ad quos miſſi ſunt, adierint, & in conſpectum eorum venerint, ab alijs inquirantur, quarum rerum gratia legati ſint.

Lin. 14. leg. ἐπεπείθειν, ſi ἐπεπείκειν legas, ita verte, effeciſſem.

Lin. 22. pro ἐναντία ποιήμασος, leg. ἐν αἰτίᾳ ποιήμασος.

Fol. 39. lin. 12. ita verte, ſed nihil firmitatis ineſſe his, quæ de ipſo per auditum feruntur.

Fol. 40. lin. 1. θερμῷ λυμαίνεσθ, niſi iracundiæ ſuæ calor, legationis reuerẽtia corrumperetur, & mitigaretur.

Lin. 15., ἀποκρινάμενος, non ἀποκρινόμενος.

Lin. 17. ἰδιολογούμεθα, neſcio an hæc interpretatio placeret, patrio ſermone reddidimus, in patrium ſermonem redegimus.

Lin. 22. ante μέτοχος deeſt negatio, quam neceſſariam eſſe præcedentia indicant.

Fol.41.lin.2. ἐκ τῆς μείζης ἐξουσίας, ex maximo censu.

Lin. 11. Ἀκατζίρων. sæpe. Ἀκατίροι. Hunni autem Acatiri sunt apud Suidam in verbo Abares, sed Ἀκτίροι est in Codice Græco. Iord. Agazziros, vel Acatiziros vocat, quem vide.

Lin. 21. ἔτω τυπήσαντα, non ἔτω λοπήσαντα.

Lin.23. Vide num ὑπῶς, loco ἕτος.

Lin.24. Aduerte Catisororum.

Lin.29. leg. ἐξορμήσαντος.

Fol.42. lin.4. σχεδίαις, interpretatus sum de proximo sumptis, significat & tumultuariè factis. Elige lector.

Lin.10. ὅ ὡς οἱ τὸ πλησίον, &c. An solam eam partem vici, quæ paludem contingebat, ad eã aquatum iuisse indicat?

Fol.43.lin.1. καὶ ἑτέροις πτυγήμασι, fructus sum interpretatus, & ad eam interpretationem, & lectionem me adduxit dictio ἑτέροις, quia cùm paulò ante dixisset, καρπῷ τῷ Φοινίκων, subiunxit, καὶ ἑτέροις, &c. Si πταγήμασι legas, bellaria interpretare, quæ secundis mensis, & plęraque cruda apponi solebant.

Lin.13. Post ἀπὸ Πεταβίωνος, τῆς ἐν Νοεικῷ πόλεως, adde punctum. & disiunge ab his, quæ sequuntur. Duxerat enim Orestes Tatulli filius, filiam Romuli è Petouione Norici ciuitate, quæ Imperatori parebat, quamuis Orestes esset Attillæ ditionis incola.

Lin.15. loco βυλόμβοι. leg. βυλόμβιον.

Lin.20. ἐδέξατο, non ἐδέξαντο.

Fol.44.lin.4.leg. παρέπονλο, non παρεί πονλο.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [410] - 384

Lin.16. An ſuprà nominati fluuij, Drecon, Tigas, & Tiphiſas, an alij?

Lin.22. βαδιζόσας.

Lin.24. γενόμνοι, non γενόμνον.

Fol.45.lin.3.pro ἐξολιθήσας, leg. ἐξοσιθήσας.

Lin.9. pro οἱ βέλευαι, leg. οἱ βέλεμνα.

Lin.13. ὡς σελθών τις.

Lin.23. ἂν αἱρεῖται.

Fol.46.pro εἰς leg. εἷς lin.ſequenti διηφτημένον ὧδε ὡσεί, vide num διηφτιμὼ ὧδε ὡσεί.

Lin.22. poſt φόβε, adde punctum.

Lin.24. poſt πέφευν, adde virgulam.

Fol.47.lin.29.&30. οἵδε ἄρχονλες, vide noſtrorum temporum imaginem.

Fol.48.lin.10. loco ἐξῆν, leg. ἔξειν.

Lin.20. poſt κατηγορήσειν, appone interrogationis notam. Et lin. 21. poſt πλάτῳ pariter.

Lin.23. pro ἑτέρα, leg. ἕτερα.

Lin.31. ἔκλογον ferri non poteſt, neque etiam σκλίθων, aut σκλύγων, quod pergulas ſignificat. Vera lectio eſt σκδοκῶν.

Lin.32. ἀποτελῶσι, quomodo ſenſum aliquem efficere hoc loco poſſit, in quamcunque partem me verti, perſpicere minimè potui. Itaque lego ἀποτερῶσι, Τερέω ſignificat foro, trajcio, torno. Conſtructum igitur ædificium Artillæ dico, trabibus opere puro, & in rectitudinem politis, quibus interiecta erant ligna torno elaborata, aut quæ interjectæ erant lignis torno elaboratis. Prætereà circuli à pauimento incipientes in altum aſcendebant, certa proportione, & menſura.

Fol.49.lin.2.pro πρίεπε, leg. πρέπε.

Fol.50. lin. 2. & sequentibus, Verbum συμβαλλόντων ambiguam facit istius loci interpretationem. Scythia omnis tunc temporis ferè inculta, ita vt commeatus à proximis Romanorum ditionis regionibus acciperet. Hinc fœdere cautum, vt certo tempore mercatus ad Istrum haberetur. Itaque Romanis propter imminens bellum minimè Scythas, vt solebãt, commeatu iuuantibus, fames eos inuasit. Sed cùm verbi συμβάλλειν vsitatior sit significatio, pugnare, manus conserere, ab vsitatiori significatione minimè recedere volui. Et Scythas, quia bellum alibi Romani gerebant, cùm minimè bello ab his appeterentur, & fame premerentur, excursiones fecisse, vertimus. Iudicium tuum interpone Lector, & candidè, quod rarum hoc sæculo, iudica.

Lin. 30. Romani Attillam non appellabant Regem.

Fol. 53. lin. 24. ἐθεήθημεν.

Lin. 31. Corruptus locus, sic lego πρὸς δωμάτων τ' αὐτὸν, πραγμάτων τὴν ὄπιζοπὴν ἔχουσα.

Fol.53.lin.2. τῷ Βλήδᾳ πειθόδαρος ὤν, an cùm Bledæ partes foueret, versio rectior esset?

Fol. 54. πρασκευάζων, loco πρασκευάζειν.

Lin. 22. ἐυβεισμένον, verte, se ludibrio habitam.

Fol.56.lin.27. & 28. & barbari gratia præ cæteris florebat, quia ei opinioni adhęserat, quæ Attillæ rationibus maximè conducebat, in eo, quod

quòd ei, qui res, quæ tunc erant, componere ſtuderet, minimè pecunijs parcendum eſſe cẽſuerat.

Fol.57.lin.19. vide num ὑπάτῳ, loco ὕπαλον.

Fol.61.lin.6. Vide num ϖδγμαπονδομδίων.

AD MALCHVM NOTÆ & Emendationes.

PAg. 61. lin. 15. τοβδς legendum eſt φοδς Stobos Macedoniæ vrbs Plinio Liuio & Ptolomæo Primæ Macedoniæ eſt in Concilio-rum opere Stobenſium fit mentio in leg. vlt. §. in prouincia Macedonia ff. de Cenſibus. Fortaſſe verſio rectior eſſet ſi Primæ Macedoniæ vrbem vertiſſemus, aut ſubaudiendo χτ' τὴν πρώτην in Prima Macedonia ſitam.

Pag. 62. lin. 20. ϖδγλυπὼν deinde loco, ἐντῶν lege ἐν τῶν.

Lin. 21. ἐϖηρέατο ab ἔπειρῶ.

Lin 27. Pantalia Thraciæ vrbs Procopio. lib. 4. de ædif. Iuſt. hic regio.

Pag.64. lin. 14. Lichnedus Ptolomæus Licnidum vocat & in Macedonia eſſe dicit Liuius in Illirio ponit Ochridam etiam nominat Stephanus. Eius meminerunt Polybius & Diodoru Siculus.

Lin. 23. Ædeſſa Macedoniæ vrbs in Æmathia regione Ptolomæo, Liuius Edeſſam ſcribit.

Lin.24. δέλτας litteras vocat informam delta complicatas.

Lin. 32. ἄπανλᾶ, ab ἀπανλάω non ἄπανλα omnia.

Lin. 33. pro λέγονλες leg. ἄγοντες.

Pag. 65. lin. 7. Doctiſſ. Caſaubonus legit pro κάμπια καρπία. Et verò eius lectioni accedo. Vrbs enim ea in barbari poteſtate erat.

Pag. 65. ſic lego σὺν ἵππευσι καὶ ἡμιόναις καὶ ἁμάξαις καὶ στρατοπέδων καταχευῆ.

Pag. 66. lin. 7. καρπίας non καρδαμιας. Ad eam lectionem præcedentia nos ducunt vt dixi ſupra.

Pag. 67. lin. 14. πέδον non πεδίον.

Pag. 68. lin. 20. αὖ παρ ἄξιον φαίην.

Lin. vlt. καὶ ὁ μεν τευθέριχος ἀπεχώρησε omiſſum in verſione & ita Theudorichus diſceſſit.

Pag. 69. lin. 5. ἐᾶν ab ἐάω.

Lin. 30. emendo ὑπεύχετο non ὑπεσχετο.

Pag. 70. lin. 14. vſque ad lineam 18. locus mutilus quem coniectura ductus emendo & præcedentibus annecto.

Pag. 71. lin. 2. pro ἐξώθη forte ἐξαιρέθη.

Lin. 11. ἀπαντῶντα non ἀπατῶντα.

Pag. 72. lin. 28. στρατηγῶν verte exercitibus.

Pag. 74. lin. 30. ἀμφὶ βασιλεα qui circa Imperatorem ſunt. Notitia Imperij ait fuiſſe duos magiſtros militum præſentiales qui Imperatoribus deſeruiebant, & tres alios. Per Orientem, per Thraciam, & per Illiricum, & forte ea verba αἳ περ εἶσι μέγιζαι εἰς ἐμὲ ἑτέραν γῆν, innuunt duorum exercituum qui ex illis tribus maxime erant ſibi Ducatum & præfecturam concedi petijſſe Theodorichum.

Pag. 72. lin. 7. ἠμελλήνω, &c. Locus mutilus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [414] - 388

neque eius sensus in Latina versione à nobis expressus Scythę enim egentissimi neque quicquam auri nisi qnod prædis & latrociniis quæ in Romanos exercebant parabant, habebant. Itaque ita verto qui veniunt vt modio aurum admetiantur, id est, qui ea spe ad te accedunt vt per bella tuo ductu tantum auri sibi comparent vt illud modio admetiri possint.

Pag. 73. ἐκ τῆς ἱστορίας, τοῦ αὐτοῦ Μάλχου ῥήτορος τοῦ φιλαδελφέως verte. Ex historia Malchi Philadelphensis.

AD MENANDRI EXCERPTA Notæ & Emendationes.

FOl. 78. Περὶ Ἀβάρων Abares Euagrius & Nicephorus Callistus aiunt fuisse Amaxobios & Nomadas & Abar dici in singulari. Apud istum authorem Abari non Abares vocantur & Turcorũ subditi esse dicuntur; à quibus tamen magnam eorum partem defeciisse idem author refert. Qui illis imperabat Cagan aut Caganus vocatur, Fortunatus Auarumque Cagan Paulus Diac. lib. 1. cap. 18. Hunni postea Abares vocati fuere, &c.

Pag. 78. lin. 31. De Alanis Ammianus lib. 31. Alanos & Roxolanos vocat Ptolomæus & Plinius in Sarmatia Europica locat iuxta Tanaim & Meotidem paludem. Sidonius Caucasigenas appellat. Eos Lithuanos quidam esse volunt.

Lin. 33. καταλόγων præsidiariorum aut sti-

pendiariorum in Lazice militum Dux. De Lazice in Notis ad Priſcum diximus.

Pag. 79. lin. 9. leg. malim πέφρυγε tremulo erat corpore; omiſſa vox tremulo, in verſione: ſic enim vertimus: tremulo & effœto erat corpore: tremulum & effœtum illi corpus erat. Sed vox tremulo omiſſa ab impreſſore.

Lin. 16. legebam τὴν ἑταιρείαν ἐπράπετο. Sed ſi quis vt eſt in impreſſo legere velit, ſic verto, aliò auertit, ad bellum aliò gerendum auertit.

Lin. 26. & 27. Οὐγγ́ροις, Hugoros, Vgros, Vngaros, Hunnos, idem eſſe puto, & Agathias diuidit in Cotriguros Vltizuros, & Burgundos, Idem Agathias Vnnos vocat, Onogoros, Procopius Vtigaros, Itaſalos lege εἶτα, deinde Salos, Sali, Europeæ Scythiæ gens apud Ptolomæum, & Strabonem qui & Phtirophagi. Sunt & Itamari apud Iornand. Sabiri aut Sapires gens Pontica Stephano & Orpheo in mediterraneis. Sabiri etiam apud Agathiam. Sed ſi rationem Græcæ orthographiæ ſequi velles Saberi per e longum ab η. pronuntiares.

Pag. 80. lin. 12. Lege in Alororum regione Alorus Ptolomæo eſt Pæoniæ in Macedonia vrbs, ſunt & Haloritæ apud Plinium & Eluri populi, quorum Rex Getas apud Cedrenum Herulos interpretatur Xylander. Sunt & Æluri apud Zonaram.

Lin. 18. ἐφιλοποιήσατο non ἐφιλοποιήσαντο, deinde Oeconomum, œconomona verte ſi velis.

Pag. 81. lin. 11. omiſſum in verſione ab impreſſore ἐπεντρυφᾶν, quo lautius viuerent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [416] - 390

Pag.82.lin.33. ἐνίκα τάδε τῷ πέρσων περὶ τοῦ, sed vide num περὶ τῶ hoc curaret, antequam in Persiam aditer se accingeret. Iusserat etenim.

Pag.83.lin. 24. ἔποντο.

Pag.85.lin. 7. εἶεν ἄθραυστον.

Lin. 9. εἶπε non ἦδε.

Pag.86.lin.7.loco δέλξ lego δέλξ ligare.

Pag.87.lin.17. καὶ αὐτὲς loco καὶ αὐλὰς.

Lin.19. κάλευχον non κατέχεον.

Lin.26. vide num ἐδέησε loco ἐδήλωσε.

Pag. 88. lin. 9. παρίοντας prætereuntes non παρόλας.

Pag.89.lin.18.loco μὴ pone μὰ.

Lin. 32. σωελόντα fortasse σωφελόντα.

Pag.91.lin.21. pro λοιπὸν lege λυπὸν.

Pag.92. De Cortraguris supra diximus.

Pag.93.lin.1. ὡς δεδιηνύεθαι à διανύω.

Lin.16. sic lego ὁ γὰρ Ιϛῖνος τῶν ἀυτόκρατορα ἤρεσκε scilicet τῶν horum Abarorũ Imperatori placatus erat. Necesse est enim vocem ἀυτοκράτορα, de Cagano, id est Abarorum Imperatore intelligere. Nescio an lectio rectior esset ὁ γὰρ Ιϛινῷ τῷ ἀυτοκράτορι ἤρεσκε. Hoc Iustino Imperatori non probabatur ad quam lectionem, nos quæ sequuntur ducunt.

Lin.28. & 29. ἐς τὸ ἀβροδίας τὸν, &c. Hæc Græca opinor non sunt, ἐς τὸ ἀβροδίαιτον tolerari posset. Ego sic lego. ἢ χὶ ἐς τὸ ἁβρότερον ὁ βιὸς ὄνειος quos minimè vita mollior & inertior iuuabat, quibus minimè vita mollis grata erat.

Pag. 94. lin. 2. τελέως perfectè, omissum in versione.

Lin. 8. ἀπεκτέσησαν. Nam ἀπεκτέσησε in singulari de Imperatore esset intelligendum quod non puto.

Pag. 99. lin. 29. legi ὑπεχωρῆσαν tametsi ὑπερρῆσαν aut παραρῦσαν ferri possent. Si παραρρῆσαν legas a ῥέω dico. Nec enim ῥεω fluo. conuenit consentire παραρῦσαν conseruare interpretare.

Pag. 100. lin. vltima leg. θέσμον pro θερμὸν nisi ardorem belli interpreteris cum adhuc communiter bellum arderet.

Pag. 101. lin. 14. παρασκόμμον ab ἀσκέω.

Pag. 103. lin. 13. Chomarum puto legendum, Chomarorum oppidum, Chomari sunt Plinio populi circa Margianam, Ptolomæo circa Bactrianam, qui & Chomarum eorum oppidum nominat. Ibid. modo Biganem modo Biganum impressum per errorem reperimus, qui custodiendo oppido præerat: tu Biganem repone.

Lin. 29. ἑφολκά attractiua quæ eum allicere attrahere possent: omissum in versione.

Pag. 105. Singidone ego Singidonum puto legendum: est enim Singidonum Pannoniæ vrbs apud Iornandem. Huius meminit Aurelius Vict. in Iouiniano: hanc Lazius ait non procul abesse a Sirmio.

Lin. 16. ἡλὲ ἐπιτρέποτες erat omissum in versione: de Imperatore nullo modo laborabant.

Lin. 28. leg. διννον à διανύω.

Pag. 111. lin. 2. ὑπικρυκευσάμμος puto legendum ὑπικρωσάμμος aut ὑπιαφσάμμος. Nam ὑπικρυκευσάμμος opinor Græcum non est, & fortasse ὑπικρησάμμος ab ὑπικείπτω.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [418] - 392

Lin.26. πειθοίσιμὸν.

Pag.112. lin. 27. ἐγὼ δὲ. Est responsio legati Persarum, ea capitali littera designari debuit.

Pag.113. in fine lin. 28. & initio 29. vide num ἐν ὁμαδὶ.

Pag.114 ἀτὰρ ἡ δωάμις τῶν λεχθέντων τοιάδε ὑπῆρχε vertimus τῶν λεχθέντων ea quæ litteris comprehensa erant. Si malis ita verte. Et eorum quidem quæ recitata sunt talis fuit vis.

Pag. 115. De Ephtalitis, supra vbi eorum potentiam à Turcis euersam dicit non à Persis. Gens est Scythiæ quàm & Abdelam Niceph. Callistus vocat.

Pag.116. lin.1. δείτατος vide num δεινότατος.

Lin.13.pro λόγων lego λοχῶν cohortium.

Lin. 17. δεωσόσιμὸν.

Pag.117.lin.7. malim loco κίνει, νείκει, contendit.

Pag.120. πλασίγξ, cusor qui cudit.

Pag. 122. lin.13. non κρείσσων, sed κρεῖττον. Ead. lin. εἰ καὶ ὑμεῖς.

Lin. 20. κατὰ τὰ σίεντο τῶν κεκλημένων πράγματα.

Pag.123.lin.17. pro ἔφησαν ὑπιπέσαν.

Lin.24. pro ἤδεν leg. εἶπεν.

Lin. 29. δωήσωμαι. Lin. 30. pro ὅποι leg. ὅτι.

Pag.125.lin.19. nescio an ἐν εἰδοπὶ pro εἰδόσι.

Lin. vlt. σύσασις Græcum puto non est. leg. σύστασιν.

Pag.127.lin.31. δι ὃν leg. δι ὧν.

Pag. 132.lin.15. βουλεύσαιτο.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [419] - 393

Pag.134.Marabandorum forte Madianorum & Tarannorum Tarinorum puto. Tarina enim Ptolomæo est vrbs minoris Armeniæ.

Lin.23.lego θηρᾶσαι βυλόμενον.

Pag.135. lin.pen. & vlt. σωωελεύσεσθαι.

Pag. 136.lin.26. leg. εἷς non οἷς.

Pag.137.lin.29.leg. ἀπειμι non εἶποιμι.

Pag.138. καθ' ἡμᾶς vide num καθ' ὑμᾶς.

Pag.139,lin.1.leg. ὅπως ἰῷ αὐτῷ.

Pag.140.lin.16. vide num ἄπιστα, infida.

Pag. 143. lin. 18. εἰς τὰ ἐθῆ ab ἔζομαι sed non ἤθη.

Lin.31.vide num ὀπινοέων pro ὀπινοίαις.

Pag.144 lin. 18. nescio an ἀποφερήσασθαι.

Lin.29. Συγγάρων Puto legendum σιγγάρας. Est enim Ptolomæo vrbs in Mesopotamia ad Tigrim amnem sita. Et Arabum quoque ad Eufratem.

Pag.146. ἔτηδει. Si ita legas ita verte in fine anni.legi ἐσπειδὴ.


Pag.147. lin. 33. Sensus postulat vt legamus, ἀκάθεκτον.

Pag.149. lin. 13. ἀμελέσατα non ἐκμελέσατα.

FINIS NOTARVM.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 165, [420] - 394



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [421] - -


GWLB Hannover
036 828 572
35

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 165, [422] - -

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XLI 18.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 165, [423] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 165, [424] - -

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



Signatur: Leibn. Marg. 165, [425] - -